




MAXIMILIANI STOLL

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI
MEDICINAE CLINICAE.
P. P. O.

PARS SEXTA

RATIONIS MEDENDI

POST EJUS OBITUM EDIDIT ET PRAEFATUS EST
IOSEPHUS EYEREL.

VIENNAE AUSTRIAE,
SUMTIBUS IOH. PAUL. KRAUS.
MDCCXC.

PRÆFATIO

Magna animi voluptate meam, qualemcunque in pervulgandis *Stollii* ſcriptis operam, eruditis Medicis ita placuiſſe video, ut hæc etiam viri optimi *Analecta*, quæ modo ſum traditurus, eadem ab æquis lec-

lectoribus benevolentia fore accepta, confidam.

Primum autem horum *analectorum* Volumen *quinque* constat sectionibus; quarum *prior aphorismos*, seu præcepta medendi continet, quæ ex *Baglivio* & *Ballonio* potissimum, in privatos sibi usus decerpserat, adspersis hinc inde notulis.

Secunda sectio de methodo examinandi ægros agit. *Tertia*, medicinam in casibus inopinatis aphoristica dictione comprehendit. *Quarta* sectio, quædam ad medicinam forensem pertinentia pertractat. *Quinta*, brevem de herniis doctrinam exhibet.

hibet. *Sexta* sectio observationes de colica pictonum sistit, quae in collectione observationum, a *celeberrimo Mohrenheim* a) aliquot abhinc annis editarum, comparuerunt, nunc autem primum *latino sermone* exhibentur. *Septima* denique sectio *sparsa*, ad aegrorum lectos exposita, continet.


Alterum volumen in sectiones *tres* est divisum. Harum *prima* ephemerides ab anno 1781 usque ad Aprilem ann 1782. continuat. *Sectio secunda* numerosas continet cadaverum sectiones, brevi utplurimum addita

epi-

a) Wienerische Beitraege I. Band. Wien 1782.

epicrisi ; atque ob hanc ipsam alteram sectionem, quæ ægrorum in *Nosocomio Trinitatis* defunctorum extispicia proponit, tum etiam ob ephemerides continuatas, atque observationes de colica pictonum in eodem nosocomio consignatas, ANALECTA hæc Tomi VI & VII. RATIONIS MEDENDI titulum non immerito præseferre arbitrabar.

Tertia sectio Adversaria varii argumenti continebit. Index rerum in utroque volumine contentarum copiosus imponet finem.



CONSPECTUS

Materiarum Voluminis I.

SECTIO I.

Aphorismi, ſeu præcepta medendi generalia ex variis auctoribus collecta.

SECTIO II.

De methodo examinandi ægros.

SEC-

SECTIO III.

Medicina in casibus improvisis.

SECTIO IV.

Quædam ad medicinam forensem pertinentia.

SECTIO V.

De Herniis.

SECTIO IV.

Observationes de colica Pictonum.

SECTIO VII.

Sparsa ad ægrorum lectos exposita.

PRÆ-

SECTIO I.

APHORISMI

SIVE

PRÆCEPTA MEDENDI GENERALIA

EX PLURIBUS CASIBUS PARTICULARIBUS

ABSTRACTA, EX VARIIS AUCTORIBUS

COLLECTA.



§. 1.

Despumatio morbosæ materiæ, sive, quod idem est, crisis morbi, definito febris tempore fieri solet.

§. 2.

Crises in morbo acuto imparibus ut plurimum diebus salutariter fiunt; quæ paribus, fere lethaliter.

§. 3.

Chronici paribus fere tum diebus, tum mensibus terminantur.

§. 4.

Datur consensus quidam inter tibias & pectus.

Inter pudenda & pectus arcani quidam obſervantur conſenſus.

§. 5.

Ulcera, cauteria, aliaque tibiarum mala, intempeſtive aut imprudenter ſanata in pernicioſos pectoris morbos deſinunt.

§. 6.

In morbis pectoris diuretica & pediluvia utilia ſunt. Purgantia autem generaliter noxia.

§. 7.

Omnes pleuriticos ſanatos vidimus, quibus in interiora auris dolor & exinde ſuppuratio ſuppervenerunt,

§. 8.

Febres intermittentes, nullis nec digerentibus, nec ſolventibus, nec febrifugis cedentes remediis, facta venæ ſectione in ſalvatella, frequenter ſanantur feliciſſime,

§. 9.

A dolore forti ad teſtes irruente tuſſis ſicca ſolvitur.

§. 10.

Cum teſtis intumeſcit a tuſſi, memoriam renovat ſocietatis pectoris, mammarum, genituræ, vociſque.

§. 11.

§. 11.

Si testium inflammationi tussis superveniat, inflammatio solvetur, & contra.

§. 12.

Hydrocele discussa supervenit hydrops pectoris.

§. 13.

Præire & subsequi sternutamenta in morbis pulmonum, malum.

§. 14.

Infantes optimæ sanitatis, vegetique ceteris paribus facillime & sæpe inadvertenter dentiunt. Debiles vero, laxi, sive ob morbum aliquem prægressum, sive ob innatam debilitatem, difficillime dentiunt.

§. 15.

Pulsus senum sæpe intermittit, accedente febrili morbo intermissio cessat, at fracto morbo redit pulsus intermittens, sanitatis proxime adfuturæ signum indubium. Hinc ex tali pulsu nil mali suspicetur medicus.

§. 16.

Ubi diathesis inflammatoria, ibi venæ sectio conducit, sed nocet purgatio. Ergo in *angina inflammatoria*; item in *apoplexia sanguinea* nunquam purgandum, sed

vena secanda. Vidi hujus aphorismi veritatem in multis casibus tum meis, tum aliorum, nunquam enim purgatio profuit, nocuit autem semper.

„Corpora laxa, tumida, quæque aut sunt aut fuerunt chlorotica, subinde valde febricitant: dolor capitis magnus, lingua humida, glutinosum os, sitis aut nulla, aut exigua. inappetentia, urina flava valde, mucosa; sanantur cremore tartari leniter alvum movente, & oxymelle. Deinde vero firmandum corpus roborantibus. *Hydrops calidus* eodem modo curari debet. Rarissime venæ sectio prodest.“ *Stoll.*

§. 17.

Ventriculi dolor post potum Caffeé in homine robusto, plethorico a turgore vasorum ventriculi oritur. Juvat venæ sectio non autem sic dicta stomachica.

Adest in hoc casu præter dolorem ventriculi etiam dolor capitis, aut vertigo. Præter plethoram universalem adest particularis ventriculi; subinde etiam intestinorum, tunc autem dolores colici, vel colica hæmorhoidalis dicta, balneo tepido, emollientissimis decoctis, refrigerantibus & hirudinibus ano adplicatis curanda.

In

In ſputo ſanguinis menſtrua nocent adſtringentia; proſunt emollientia, alvum lubricantia, & hirudo ad anum. Item ſubinde movenda alvus eſt, per magneſiam nitri, quæ alvum ſollicitando motum humorum verſus venas hæmorhoidales determinat. Diæta vegetabilis.

§. 18.

Si pleuriſis ſit ab apparatu humorum in primis viis, purgandum eſt.

§. 19.

In pleuritide maligna & epidemica camphora cum *fervido* decocto rad. imperat. angelic. tuſſilag. fol. ſcabioſ. & tuſſilag.

§. 20.

Temperamentum puerorum pituitoſum, improviſa, ſine manifeſta cauſa orta gravia ſymptomata, & apoplexia puerorum extremitatibus frigidis, pulſus valde exilis, qui fere ſemper ſignum eſt vermium, frequens contrectatio abdominis manibus, tormina, improviſa mania, ſingultus &c. ſigna ſunt vermium. In tali caſu nil potentius, quam ſtatim dare cum brodio gr. XII, merc. dulc. & gr. V. Scamon. Sulph. in adultis. In pueris vero minoretur doſis, vel potius detur

mercurius crudus in brodio ad magnitudinem pisi. Nam exit ad miraculum.

§. 21.

Subito excitari ex somno cum trepidatione in infantibus, præcipue, est apud mulierculas signum vermium; hoc item tamen etiam contingit in eruptione exanthematum.

§. 22.

Lumbrici frequenter absconduntur in cavitatibus intestini colon, ad quas cum interdum difficulter perveniant medicamenta, ideo non mirandum, si non raro ex optimis medicamentis non sempet optimos habeamus successus.

§. 23.

Vermes subinde subito non solum pueros enecant & infantes, sed etiam adultos.

§. 24.

Anthelminticum Georgii Batei Angliæ archiatri referente *Baglivio* est sequens.

R. Mercur. crud. recte purgat. ℥j.
Aqvæ graminis
— — portulac. aa ℥jjj.
relinque per duas horas mercurium, macerando ac sæpe & fortiter agitando. Decanta aquam & cola.

§. 25.

§. 25.

Si circa quartum, cum jamjam erumpunt variolæ, caput impetunt cum magno calore, anxietate, motibus tendinum ſubſultoriis &c. ſtatim imperavit Baglivius cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis; & momento omnia ſymptomata conqueuere.

§. 26.

Si ſanguis ad caput impetum faciat in variolis (idem ſors in aliis morbis acutis inflammatoriis magis conveniret, qvam veſicantia, aut etiam epiſpaſtica,) tenſionesque in hypochondriis adſint, plantis manuum atque pedum ſpongias decoctis emollientibus tepidis turgidulas apponi juſſit *Baglivius*, magno cum ſymptomatum levamine.

§. 27.

In pueris ſemper de duobus ſuſpicandum, de lumbricis videlicet, & de variolis, ideo nunquam febris, antequam duo tresve dies elapſi ſint, determinanda.

§. 28.

Dolor dorſi accutiſſimus, nonnulli motus convulſivi, tuſſis, oculi humidi, febrim ex genere varioloſarum futuram denotant,

§. 29.

Qui in variolis maxime ſputant, raro moriuntur, nullumque ſputatorem in variolis mortuum vidit Walſchmidius.

§. 30.

Adultiores ætate, niſi recte tractentur in variolis, ſæpe moriuntur phrenitici uti obſervavit *Baglivius.*

§. 31.

Ad foveas variolarum delendas optimum aſſerit Baglivius remedium fieri ex alio amygdalarum dulcium. ℥jj. Spermat. cet. ℥jjj. Ol. Still Rhodii gt. jv. M. f. Unguent.

§. 32.

Contrahuntur ſœpe hypochondria in acutis verſus diaphragma, ob id inflammatum, vel convulſivica oſcillatione laborans: & ſemper malum eſt.

§. 33.

Pulſatio in præcordiis cum ſignis ariditatis in lingua, vel aliis partibus, delirium ſignificat.

§. 34.

Si lumbis dolentibus veniat dolor ventriculi, futuras denuntiat hæmorhoides.

§. 35.

Si in morborum, præſertim acutorum initiis, hypochondria tument aut dolent, ſanguinem in ſupernis partibus exſpecta.

§. 36.

Nolite terreri, ſi aliquando videatis pus in morbis; nam non ſemper pus eſt, ſed ſuccus nutritius, qui ob intermiſſam exercitationem conſuetam, vel ob victum copioſum in venis redundat; unde in forma puris tunc effluit per urinam, ſeceſſum &c, teſte *Avicenna*, quare non ſemper alba materies ſignum eſt ulcerum; quod ſerio notandum.

§. 37.

Datur etiam hydrops inter muſculos abdominis, quando nempe ſerum non in ejus cavitate, ſed inter externos abdominis muſculos fluctuat, & ventrem elevat in magnum tumorem ruptis, laxatis, vel eroſis talium partium vaſis lymphaticis. *Hippocrates* ejus primus meminit, dum ait, *Spatia muſculorum ſero & flatu replentur.* *Walſchmidius* in ſua praxi nonnulla quoque de eodem monet, ex ore præceptoris ſui habita.

§. 38.

§. 38.

Hydropicis deſperatis, ſi facies evadat plumbea, mors oſtia pulſat.

§. 39.

Qui natura ſunt ſtomacho debiles, & difficulter cibos coquunt, luridos & conſpurcatos dentes habeant, cum aliquali oris fœtore, ſunt magis proclives ad ſomnum quam ad vigilias; hebetes ſunt viſu, remota non bene vident objecta; a quovis copioſo ciborum uſu facile læduntur.

§. 40.

Potus caffee iis mirabiliter prodeſt, & apud me (ita Baglivius) pro ſecreto habetur. Continuo moerent aut dolore capitis laborant, & ob id impatientes ſunt.

§. 41.

Ex auctoritate & præcepto magni *Hippocratis* non ſolum febres obnoxiæ ſunt viribus & poteſtati dierum criticorum, ſed quam plures etiam alii morbi, ulcera, ophthalmiæ, dyſenteriæ, vulnera cum febre. Typhos febris, eodem teſte, ſex menſibus judicatur.

§. 42.

Si ſecundo die exacerbatis omnibus accidentibus, ruat æger in pejus, morie-

tur

tur quarto ; ſi quarto , morietur ſexto. Hippoc.

§. 43.

Criſes ad articulos natura peculiari quadam lege ſibi ſoli nota promovet ac perficit, & nos cum impropriis remediis, nil aliud efficimus , quam eam a debita criſi, cujus nos rationem ignoramus, divertimus, factaque metaſtaſi ad interiora, brevi jugulatur æger. Id ſæpe verum obſervavi (Baglivius) quando tumores pedum, dolores, ac tumores rheumatici articulorum in impuris corporibus per diuretica, aut purgantia repetita a medicis curari ſolent in iis præ ceteris , quorum ſtomachus infelix eſt, debilis ac relaxatus, ut in quam plurimis in urbe eſt —— Stomacho in his proſpice. Victum optimum impera & vinis, vindemiarum tempore more noſtro, medicatis, toto anno utere & ſanabuntur.

§. 44.

Cauſam morbi præſcire, dies criticos religioſe obſervare, paucis uti remediis; cocta materia humores educere, dummodo non turgeant, quod ſi turgeant, ſtatim purgandum; qui hæc in acutis noverit, quam feliciter curaverit!

§. 45.

§. 45.

Plures remediorum uſus necat quam vis et impetus morbi.

§. 46.

Pleuritis et pulmonia habent ſuos criticos *tertium*, *quintum*, *ſeptimum*, *nonum undecimum* et *decimum quartum*.

§. 47.

Criſes humoris meri et ſinceri peſſimae. Sanguis merus per tuſſim, bilis mera per alvum etc.

§. 48.

Criſes humoris pauci, ut ſtillae ſanguinis, pauci vomitus, pauci ſeceſſus, peſſimae; fiunt ab exolutione vel oppreſſione partis.

§. 49.

Morbi acuti usque ad vigenteſimum moventur per quaternarios; a vigenteſimo ad quadraginteſimum per ſeptenarios; a quadraginteſimo ad centeſimum. In chronicis per menſes et annos.

§. 50.

Si quis ſine cauſa, noctu multum ſudat, repleetionem ſignificat. Id.

§. 51.

Febres aeſtate non tandam fiunt ex nimio fructuum eſu, et ex calore ſolis, quan-

quantum ob frequenter impeditam tranſpirationem.

Tuſſiculae cum ſputatione abſceſſum circa aures ſubmovent. Ideo gargariſma ex malvatico vino, quod mihi (Baglivius) familiare eſt, in paroditibus juvat: et ea quae ſputum movent, pariter proſunt, nam emungunt excretoria glandularum oris vaſa, a quorum concreta lympha naſcuntur parotides.

§. 52,

Parotides rubrae, et nimium doloroſae, ſive ſint participes, ſive expertes ſuppurationis, periculoſae, praeſertim ſi alvus non fluatílioſa. Alvus libera in quibuscunque capitis mortis ſemper mirabilis, ſemper utilis.

§. 53.

Parotis, licet ad ſuppurationem etiam veniat, ſi tamen non adſint ſigna coctionis in urina vel alvus multum non fluat, malum.

§. 54.

Si crudo adhuc exiſtente morbo cum gravibus ſymptomatis, parotis veniat, et ob metum graviorum exſpectari non poteſt. ſuppuratio, candenti ferro ſtatim urenda,

et

et ita procuranda ſtatim ſuppuratio, et exitus. Maligno humori ne mora raptum faciat ad caput et vicinas partes, ac ſuffocet. *Wallesius* hanc methodum ſaepe felicem expertus eſt, uti et *Baglivius.*

§. 55.

Surditas alvum ſiſtit, et alvi profluvium; ſurditatem, ſolvit etiam ſanguis e naribus.

§. 56.

Surditas in acutis poſt ſeptimum diem cum aliis bonis ſignis, reconvaleſcentiae indicia praebet.

§. 57.

Quibus in febribus ardentibus aures obſurdeſcunt, his non ſoluta febre neceſſe eſt delirare. Solvit autem inter alia ſanguinis e naribus eruptio, aut alvus billioſa.

§ 58.

Aurium morbi nunquam ſpernendi; ſolent enim nonnunquam eſſe acutiſſimi et poſt biduum jugulant. Ita *Halicarnaſſeus aeger Hippocratis* dolore auris correptus vehementiſſimo, poſtridie obiit aphonus.

Acu-

Acutiſſimi ſunt ob apoſtema auris quod tunc fit; et ſi fit ex interna parte tympani, malum; pus enim difficulter expurgatur exterius, hinc malum, et pereunt; contra, ſi ab externa tympani parte inflammatio fiat, in qua expurgatum pus facile prolabitur extra, et partem liberat, atque vicinum parti cerebrum etiam liberat.

§. 60.

Pariter rubris et ſupra modum tinctis exiſtentibus urinis, cave cane pejus et angue, ne chinam chinae praeſcribas, ſive ſint acutae, ſive ſint intermittentes febres. Nam *acutae* adhibita china tranſeunt in inflammationes periculoſos; intermittentes vero fiunt continuae graves, periculoſae et chronicae. At ſi cum talibus urinis lingua ſit viſcida, ſicca; calor acris per totum corpus viscera intenta, cum hypochondriorum calore, quae ſingula ſignificant incipientem viscerum inflammatoriam criſpaturam, et oscillationem morboſam, ab exaltatis ſalibus pendentem; in tali caſu ſanguinis miſſio etiam repetita, pro ratione accidentium ſupervenientium, conferre poterit, ad praecavenda deliria, capitis dolores variasque hujus generis acutas affectiones.

§. 61.

Urinae turbidae, quales jumentorum, ſemper mala capitis minantur in acutis.

Urina, quae ſupprimitur in acutis ante rigorem, bonum; critica enim eſt: quae poſt rigorem ſubſiſtit, convulſivica et letalis.

§. 62.

Idem dicendum eſt de haemorrhagia, quae ut bona ſit et critica, rigori ſuccedere debet, non antecedere eundem.

§. 63.

Urinae, quae in acutis derepente et immerito coquuntur, malae; quidquid enim immerito coquitur in acutis, malum eſt.

§. 64.

Urinae variae in acutis longitudinem ſignificant.

§. 65.

Ex urina rubra et nimium tincta non ſemper deſumenda eſt indicatio ſanguinem mittendi: nam non ſemper caloris ſignum eſt, ut ſupra notavimus. In viſcerum vera inflammatione urina perſaepe eſt alba, et tamen vena ſecanda, ſi morbus poſtulaverit.

§. 66.

§. 66.

Saepe observavi in iis, quibus obstructiones sunt in primis viis, cum maximo humorum in mesenterio crudorum apparatu, urinam diminute procedere, et aliquando supprimi; quia humorum hujusmodi in mesenterio haerentium causa, lymphae cursus in lymphaticis viscerum turbatur, et impeditur. Diuretica quantacumque et cujuscunque activitatis dederis, urinam non educes, imo magis supprimes; purgantia repetita ex pilulis de hiera cum agarico etc. et lenia hujusmodi purgantia educendo mesenterii impuritates, pro modulo quo tales educuntur impuritates, urinae quoque cursus aperitur, et aegri sanantur. *Idem ego vix non semper observavi in febribus biliosis hungarorum. Stoll.*

§. 67.

Pulsus intermittens in una pulsatione pessimus in acutis, et inflammatoriis febribus, praesertim si alia vigeant gravia accidentia. Non ita malus, si morbis pectoris superveniat, in quibus familiaris est, aut in morbis senum, aut in plethoricis, aut in pueris dormientibus, in quibus om-

nibus intermittentia fere cum familiaris ſit, non ita pernicioſa aeſtimanda.

§. 68.

Diutius et ſalubrius vivunt, qui naturaliter pulſum habent exiguum, quam qui magnum et vehementem. Salubrius quoque, qui pallidulo faciei colore ſunt, quam qui rubicundo nimium et fere igneo: et quo magis roſea et rubicunda eſt facies in ſanis hominibus, eo magis ſuſpecta ſunt ſua bona. Periculoſiſſimis roſei homines morbis ſubjiciuntur, levi de cauſa aegrotant, facile inflammantur. Longam vitam non habent, et ſi habeant, haemorrhoidibus, calculis, doloribusque articulorum erit labefactata.

§. 69.

Quando dolores alicubi ferociunt, ſtatim pulſus parvi fiunt et exiles. In ſtomachi morbis parvi etiam fiunt. Quique naturaliter ſunt ſtomacho debiles, exiguum fere perpetuo pulſum gerunt; quod ad rite prognoſticandum in acutis, maxime juvat praeſcire.

§. 70.

Si quando in acutis et malignis febribus pulſum tangis, aeger retrahit manum velut

velut tremulam, pessimum est, et pauci evadunt; ita Baglivius saepe observavit in nosocomiis.

§. 71.

In senibus pulsus est varius et mutabilis naturaliter, ideo ne terreat te in iis curandis. Mutabilis quoque est in pueris copia vermium laborantibus, et in stomachi affectionibus cum ingente repletione, et apparatu primarum viarum.

§. 72.

Si quando in acutis et aliquando in chronicis post longam inappetentiam derepente ingens excitetur appetitus, nulla praecedente bona crisi, aut alio bono signo, postridie mortem praedicito.

§. 73.

Homines diu inappetentes in gravem morbum brevi incidunt.

§. 74.

Si post curatos morbos inappetentia remaneat, recidivam praedicito.

§. 75.

Bonus appetitus bonam viscerum naturalium oeconomiam denotat, unde semper bene sperandum. Nec lubricus sis in

promittendo curationem felici eventu, nisi fundamentum habeas in bona appetentia.

§. 76.

Cephalalgiam tollit expurgatio per nares, et sputa crassa odore carentia. Quin etiam eam solvit ulcusculorum ubertas, nonnunquam et somnus et alvi profluvium.

§. 77.

Si dolor capitis ante febrim invadat, atque si gravis, continuus et posteriorem capitis regionem occupat, periculum est, ne caput idiopathice laboret, ac per essentiam; si vero post aliquot, licet breves ab incepta febre dies, superveniat dolor, per consensum fit, id est febris symptoma est, et occupat partem capitis anteriorem, ut saepe observavi (Baglivius); in summa gravis est, si statim cum febre incipiat, et quotidie crescat, vel in eodem gradu persistat.

§. 78.

Coma non turbulentum, sed placitum, licet duraverit diu ebriorum instar, non est malum, sed sedat et arcet majora mala, delirium scilicet, dolores capitis, et in pueris febrem.

§. 79.

In morbis capitis indicium ad ſalutem vel ad mortem ſumas ex urina: ſi alba ſit et tenuis, malum.

§. 80.

Alvus ſtricta ſemper exacerbat capitis morbos. Pediluvia ſemper bona. Alvus lubrica, bona.

§. 81.

In faciei et faucium morbis cauteria valde juvant in brachiis; arteriotome in capite, ſecretum magnum in deſperatis capitis doloribus eſt.

§. 82.

Hirudines ano adplicatae capitis morbos ſublevant: et hypochondriorum mala ex acrimonia, impetu, et dificili circuitu ſanguinis in eis.

§. 83.

Hippocratis liber de morbis, mire deſcribit quam plures capitis morbos ab aliis autoribus non deſcriptos, quos utile eſt videre.

§. 84.

Potus nimius caffeé capitis mõrbos producit; vigiliam, tremorem, calorem etc. Attamen potus Caffée eſt ſecretum infallibile

bile ad tollendum capitis dolorem poſtmeridianum, qui vitio ſtomachi male digerentis, nonnullas poſt prandium horas venit. Aliquibus enim, idem etiam *Baglivio* ipſi contigit, tribus poſt prandium horis dolores capitis, gravitas, moeror moleſti ſint, quibus potus caffé eodem tempore mirifice prodeſt.

§. 85.

Chocolatae uſus, prout obſervatione didicit *Baglivius*, ad roborandam ſanguinis maſſam, ejusque vim, tonum et ſuccum ejusdem nutritium deperditum reſtituendum, proſtratos a coitu ſpiritus reſtaurandos maximopere juvat. Nocet ſanguineis, imflamabilibus.

§. 86.

Ut valent oculi, ſic et homo.

§. 87.

Erectum ſedere velle in acutis, malum; peſſimum in pulmonicis, pulmone inflammato, docente *Hippocrate*, quod frequenter verum expertus eſt Baglivius.

§. 88.

Cuicunque hydropico aſcitico facies derepente plumbea evadit, mors oſtia pulſat.

§. 89.

§. 89.

Facies nimis colorata, et praeter rationem rubra, et ſucci plena, ſuſpecta eſt iſta bonitas; nam praeſentis morbi ſunt ſignum, aut futuri praeſagium. Fit enim illa rubicunda facies ab humorum redundantia, et illorum quodam veluti ſtrangulatu, praeſertim circa pulmones.

§. 90.

In chronicis morbis, ſi facies naturalis ſit, et boni coloris, nunquam crede adeſſe obſtructiones in visceribus. Si mutata ſit a naturali, id obſtructionum ſignum, et turbatae oeconomiae naturalis eſt.

§. 91.

Omnis rubor faciei vel ſanguinis copiam vel internam phlegmonem, vel calidam intemperiem vel visceris corruptionem denotat. Alvus dura eſſe ſolet iis, qui nimium facie rubent.

§. 92.

Rigor bonus et criticus eſt ille, qui cum urinae pepasmo ſive coctione, ſignificatur, quique ſolvit febrim et ſymptomata mitigat, rigoremque ſequitur ſudor, vomitus, vel alia evacuatio. Malus contra, qui frequenter adparet, nam ſemel

adparere debet, qui criticus eſt; malus quoque, ſi vires inde langueant, nam indicat naturae debilitatem, et fruſtraneum ejus conatum; malum enim eſt, quod fruſtra movetur, ſi quidem raptum ad caput facit, et diaphragma.

§. 93.

Omnis rigor ſere ſemper in lumbis incipit primo, deinde per dorſum ad caput fertur, isque rigor a lumbis fere ſemper in febribus eſt. Si vero aliunde quis frigeat, abſceſſu latente rigebit. In phthiſico ex peripneumonia male curata obſervavi, ſenſum frigoris, et aurae afflantis frigidae ad latus thoracis ſiniſtrum, qua parte id ex ulcere laborabat interno. Idem aeger latus totum, et crus illius partis ſibi facilius frigere ajebat, eumque ſe ſenſum habere, ac ſi quis follem certae cuidam parti lateris ſiniſtri adplicaret, auramque frigidam admitteret.

§. 94.

Rigor qui antecedit urinae ſuppreſſionem et haemorrhagiam, ſalutaris, qui vero iisdem ſuccedit, malus.

§. 95.

Aliquando in febribus continuis frequens eſt rigor ſeu horreſcentia. Putant medici,

medici, id fieri ab abſceſſu latente. Sed falſo; nam producitur a magna humorum cacochymia et apparatu, quae a febrili calore in motum acta, dum hinc exinde ad exteriora diſcurrit, partes vellicando, horrorem facit. Omnes enim cacochymi, dum nimium incalescunt, horrent. Ita ſi cacuchymus ſoli exponatur, paulo poſt horret et febrit.

§. 96.

Quibus in febribus rigor accedit, febris ſolvitur, et ideo, quando in febribus continuis eſt; nam ſignificat morbum mutari, ejusque acutiem eſſe remiſſam, ut ſaepiſſime obſervo in praxi mea.

§. 97.

Rigor ſymptomaticus aut ſuppurationis internae ſignum eſt, aut translationis materiae in caput, aut principium materiae ſuperatae a morbo.

§. 98.

Frequens horror in ſanis, ſignum eſt cruditatis aut cacochymiae; in febribus vero motus morbi, aut ſuppurationis in ea parte, unde excitatur.

§. 99.

Flatuoſa ventris intumeſcentia, ſive hydrops ſiccus ventris non gignitur a vapore detento intra viſcerum et abdominis clauſtra, ut vulgo putant. — — adſunt fibrae viſcerum et partium abdominis intenſae nimium, criſpatae et exſiccatae, valdeque elaſticae. Inde ingens diſtentio ſolidi. — Fibras autem exſiccat, criſpat, convellit materies acris, ſalina, piperina, mordicans; hinc ſicciditas et diſtenſio. Ventoſitatem flatuoſam ſalvit phlebotomia. Sanatur per balnea et humectantia. Hydrops ſiccus, ſive flatuoſus *Hippocratis* tunc dicitur, quando adeſt alvi ſiccitas cum foecibus ſtercori caprino ſimilibus; nec non adſunt tormina, et dolores magni circa umbilicum et lumbos, febris, ſitis, tuſſis ſicca. Peſſima ſtranguria in hoc malo fit ab hectica inteſtinorum intemperie, ſequitur alios morbos, potiſſimum acutos. Catharrtica perniociſſima ſunt. Uſus nitratorum, ſerum lactis, lac aſininum; et generaliter omnia humectantia intus, forisque juvant.

§. 100.

In iis, qui hydrope ſicco moriuntur, obſervantur glandulæ meſenterii aridæ, exſicca-

ſiccatæ & tabefactæ; unde cauſa mali morbus acutiſſimus, & difficillimus, citoque interimit; alvus & urina ſtatim ſupprimuntur; & nihil magis perniciofius remediorum copia & farragine — *videtur morbus hic, ſive hydrops ſiccus eſſe inflammatio inteſtinorum, præcipue tenuium, vel forte etiam colica hæmorrhoidalis, quæ in inflammatoriam abit. Stoll.*

§. 101.

Qvibus tormina & circa umbilicum dolores fortes, deſinunt in hydropem ſiccum.

§. 102.

Criticus ac bonus icterus eſt, qui coctione indicatur, qui febris finem affert die critico, nec relinquit hypochondrii duritiem poſt ſe, & cum urinis ac dejectionibus naturaliter coloratis exiſtit.

§. 103.

Icteri nunquam ſpernendi, nam ſub larva ac perſona icteri ſæpe magni, periculoſi, ac repentini morbi abſconduntur; & ſæpiſſime moriuntur derepente icterici, ut ait *Dodonæus.*

§. 104.

Icterus febribus ſuperveniens ſemper timendus, raro enim ſunt ſine malignitate,

Si

Si sint signa coctionis, & appareat circa septimum, bonus est; est enim criticus: si signa cruditatis, & si circa quartum malus est, & symptomaticus, & si febris non remittat, letalis, vel gravium morborum nuncius.

§. 105.

Hystericis, calculosis, colicis, & in fine intermittentium facile superveniunt icteri.

§. 106.

Icterus semel curatus, denuo aut plu ries recidivans, a calculo vesicæ felleæ est.

§. 107.

Qui calculo renum pereunt, circa finem convulsionibus aut delirio pereunt, ut in nonnullis observavit *Baglivius*.

§. 108.

Infantibus tertio aut quarto a partu die oritur icterus, fitque ex retentione meconii in intestinis, unde etiam oriuntur epilepsiæ.

§. 109.

Spiritus salis ammoniaci acidus quamplures sanavit icteros. Absynthium ponticum jusculo incoctum *Baglivio* familiare fuit. Carduus benedictus, marrubium, chelido-

lidonium majus. Paronichia folio rutaceo pro ſecreto laudatur a *Boile.*

§. 110.

In curatione icteri tota medici prudentia dirigi debet in inveſtigando, an pendeat a bile viſcida, vappida, amurcoſa & inerti circa jecur impacta; an vero a bile acri, tenui, ignea, inflammabili. pro quorum diverſitate humorum toto cœlo diverſa eſſe debet curatio.

§. 111.

Signa viſcidæ bilis ſunt lingua alba, humida, inappetentia extrema, debilitas virium, pauca vel nulla febris, flatus ingentes poſt paſtum: cauſæ, quæ præceſſerunt, & temperamentum, ad congerendas viſciditates, apta ad id eſſe debent.

§. 112.

Acris contra tenuisque bilis ſigna ſunt ſitis cum aliqua linguæ ſiccitate, ardor, calorque hypochondriorum, aliqua in pulſu mutatio, tenſiones hypochondriorum, ſiccum temperamentum cum macie ægroti; cauſæ quæ præceſſerunt, calidæ fuerunt; vina generoſa, aromota, ſaccharata &c. Icterum a viſciditate curat veluti pro ſecreto aqva Tetucii. quæ ſalina eſt. Si febris

non

non adſit, dat potionem purgantem ex hac aqua aliisque indicatis compoſitam.

§. 113.

Si nimium fuerit amurcoſa bilis, per duas aut tres vices haec purgatio alternis diebus repeti debet. Deinde veniendum ad ſerum lactis cum marrubio bullitum, et ſingulo mane calide dandum. Et ſi magna fuerit viſcidae nigraeque bilis copia, addi poterit cum ſero in maceratione drachma una hellebori nigri, vel cochlear ſyrupi cacheltici Fernelii ſcum helleboro, qui ſyrupus magnarum eſt virium in chronicis: et demum omni bile expurgata ad chalibeata et roborantia veniendum. Sequens vinum medicatum Baglivium nunquam fefellit. R. Limaturae ferri non rubig. petia ligat. ℥.ß. Fol. ſennae mundator. ʒxvi. Epithimi inciſ. et rhabarb. elect. inciſ. āā ʒjjj. Abſynth. pont. Centaur. min āā M. jj. Bacc. juniperi cont. Mj. ſpecierum trium ſantal. et ſpec. diarrhod ſabb. āāScrup.jjj.Vini albi veteris non admodum generoſi ℔vjj. Macere biduo ad cineres fervidas, deinde cola per manicam Hippocratis, ut vinum optime clarificetur; de quo capiat ℥jjjj. mane bihorio ante prandium per quindecim dies aut pluries; ſingulis

gulis diebus vel alternis, prout magis vel minus purgaverit. Hoc vinum medicatum maxime etiam confert in ſcirrhis, et obſtructionibus viſcerum, potiſſimum ubi viſciditas regnat, nec multa febris adeſt.

§. 114.

Contrario modo procedendum in ictero, quando a tenui, acri, et inflammabili bile producitur, atque in fibris jecoris, partiumque vicinarum oſcillatoriam parit convulſionem. Utendum enim erit tunc radicibus temperantibus, aperientibus, ut fragarum, graminis, Indibaccarum etc. cum ſero lactis bullitis. Succi aperientes potus aquarum acidularum, quae bilem diluunt, coercent, et viam ei praebenr per urinam aut per ſeceſſum; acidulas in ictero a pluribus laudatas vidit *Baglivius*.

§. 115.

Quibuscunque in febribus ante ſeptimum icteri fiunt, malo ſunt loco. Hippocr. 6. Aph. 42. Jcterus ante ſeptimum diem inſidioſus. At ſeptimo, nono, undecimo, decimoquarto, prorumpens ſalutaris, dummodo non adſint hypochondria indurata, ſin autem adſint, anceps eſt. *Hippocr.* Coac. 127.

§. 116.

Exigua ſanguinis ſtillicidia omnia prava; in acutis nil paucum criticum; prava ſunt, niſi indicent futuram haemorrhagiam copioſam die critico, quod dignoſcitur ex urinae coctione eodem die ſtillicidii.

§. 117.

Rigor, qui poſt haemorrhagiam venit, quam jure naturae præcedere debet, ut bonus ſit, ſigno & cauſa funeſtus.

§. 118.

In morbis longis exigua ſtillicidia ſupervenientia, lethalia.

§. 119.

Hæmorrhagiæ quartanæ, ſeu quarti diei copioſæ, malæ, aut morbi longi indìces ſunt.

§. 120.

Sanguinis eruptio quartanas non ſolvit, neque morbos, qui per alvi egeſtionem ſanari ſolent.

§. 121.

Febres ardentes in juvenibus ſanantur per hæmorrhagiam; in ſenibus per dyſenteriam.

§. 122.

Peſtifera eſt omnis, quæ non juvat, hæmorrhagia; Nam labeſcit natura, defraudata ibi, ubi levamen exſpectabat.

§. 123.

Vomitum ſanguinis ex ſuppreſſione menſium, mulierculis familiarem, non eſſe timendum aſſerit *Baglivius*.

§. 124.

Signa, quando ſanguis vomitu rejectus venit ex hypochondriis, potiſſimum jecore, ſunt: palpitatio hypochondrii, dolor, ardor, tenſio; ſigna obſtructionum, color ſubflavus, viridis in facie, aut reliqua cute, palpitatio cœliacæ, aut umbilici: vomunt ſanguinem nigrum non vero ſpumantem. Motus ſanguinis ab hypochondrio venientis manifeſto percipitur, et ſurſum aſcendere manu percipitur, quod in ſuo ægrotante obſervavit *Ballonius*; juvenibus familiaris eſt hic exitus loco hæmorrhagiæ. In hujusmodi ſanguinis vomitu ex jecore adſtringentia non juvant: ſed primæ viæ a colluvie purgandæ, quæ viſciditate ſua obſtructionem in vicinis locis pariendo ſanguinem ad ſuperiora regurgitare faciunt; purgandæ autem decoctis aperientibus & ſol-

ventibus cum tamarindis, mirobalanis &c. deinde chalybeatis perficienda curatio. (*inuit* hic *morbum nigrum Hippocratis a Tiſſoto ſæpius viſum, deſcriptumque in epiſtola latina ad cel. Zimmermannum. Eſtque vomitus cruentus, vel & alvus cruenta grumoſa, ex ruptis vaſis venoſis potiſſimum, iisque varicoſis. Varix rupta, et ſanguinem ad primas vias effundens omnium horum ſymptomatum cauſa eſt Stoll.*)

§. 125.

In ſputo & exitu ſanguinis per os, ne dentur ſtatim ſtringentia: nam niſi prius uſu rerum mellitarum, hordeatarum, abſtergentium purgaveris, pulmones ea ſanguine, qui extravaſatus eſt, et moram tranit in pulmonibus, in ſuppurationem deſinet, ac phthiſin.

§. 126.

Doloris acerbitas verſa in gravitatem, leipothymia, febris nocta major, rigor derepente citatus, qui ante non erat, ſunt ſigna phymatis purulenti interni.

§. 127.

Vomicae omnes, ſeu empyemata partium, cognoſcuntur per rigores & febres de novo ſupervenientes. Sola pulmonis recon-

recondita est, & clanculum serpit absque dictis signis, imo tunc cognoscitur, quando repente manifestata, hominem ad mortem brevi deducit, ut *Willisius* & *Tulpius* præ ceteris hoc animadverterunt.

§. 128.

Abscessus ad aures & pedes boni in vomica pulmonum.

§. 129.

Dolores surae, sive cruris intolerabiles, nullis cedentes remediis, oriuntur a pure per partium spatia in crus ab hepate transmisso: *Bauhinus* & *Hollerius* id observarunt.

Hepatitidem *Hippocrates* de internis affectionibus his verbis describit. Dolor acutissimus in jecore ad nothas costas, humerum & claviculam, suffocatio fortis; dolet, dum tangitur jecur, febris, rigor & horror, vomitus bilis, color cutis sublividus. Cibi torquent, & urunt ventrem, progrediente morbo remittunt, sed dolor derepente suffocat ægrum, potissimum circa septimum diem, in quibus desinit morbus, & si eos effugerit, sanatur. Balnea, lac, serum & diæta sanant morbum.

§. 130.

Jecinoris inflammatio aliquando ſimilis pleuritide, & medicos frequenter decipit ſimilitudo. Differunt tamen, nam in hepatitide dolor infra eſt — — gravativus eſt, non pungitivus; reſpiratio non multum læditur, color faciei citrinus, tuſſis ſicca ſine ſputo, pulſus non durus. Fœces liquidæ & ſubcruentæ. Contraria ſunt in pleuritide.

§. 131.

Si inflammatio jecoris ſit in parte gibba, urgent ſymptomata pleuritica; ſi in ejus cava, ſtomachica urgent.

§. 132.

Si ex uſu nitri fixi copioſa ſequatur urina, bonum in hepatitide: nitrata in hepatitide, & omnibus inflammationibus fere ſpecifica ſunt. Ideo ſerum lactis juvat in inflammationibus, quia abundat nitro plantarum.

§. 133.

Qui quotidie ſcribendo vitam ducunt, phthiſici moriuntur, & phthiſis incipit raucedine moleſta, ac nullis cedente remediis, donec tandem fere poſt annum phthiſici moriantur — — — quotidiana experientia

certum

certum est, studiis nimium applicatos, & scribendi studio deditos in phthisin facile desinere. — — — Varii pulmonum morbi oriuntur in studiosis.

§. 134.

Bona respiratio in variolis est unum ex optimis signis, licet alia sint gravia ut centies observatur, ita Baglivius. Cum bona respiratione semper bene spera in variolis.

§. 135.

Spiritus magnus multo tempore durans, delirium significat.

Difficultas omnis respirandi terrifica est, quando excusationem non habet, aut perturbationes criticæ aut crisis ipsius.

§. 136.

Ut magna & rara respiratio certissimum est delirii argumentum; sic parva & rara mortis jamjam futuræ.

§. 137.

Inter morbos pulmonis notabiles est pulmonia lethargica ab Hippocrate ita denominata; ait itaque ipse: *Pulmoniœ idem status, ac letargi; qui letargici evadunt, pectore suppurantur. Hipocrat, in coac,*

Invadit itaque pulmonia cum lethargo statim in ipso morbi initio; oritur a pituita putri & viscida, pulmones syderante, tussis tenet cum sopore; cum moriturus est æger, liquescit alvus, ut in libro de morbis describit. Quare non est prospiciendum letargo per expectorantia. Bagl. (*ex exemplis ibi allatis constat morbum esse senilem, & forte apoplexiam pituitosam cum peripneumonia senum notha. Stoll*)

§. 138.

Pulmonum morbi in fine desinunt in soporosos affectus; sanguine enim a superioribus ad pulmones morbo obsessos difficilius recirculante sanguine, viis impeditis, hæret in cerebri mœandris; hinc sopor facile accedit.

§. 139.

Saepe moriuntur pulmonici gravissimis affecti accedentibus, et in cadavere nihil morbosi reperitur in pulmonibus — in siccis, adustis aridis, temperamentis id potissimum contingit. Hinc etiam oriuntur pleuritides siccæ, asthmata sicca, hydropes sicci, flatulentæ & dolorosæ partium affectiones, & reliquæ hujus generis, in quibus non flatus causa mali est, sed solidum na-

tura

tura ſiccum, aridum & violento præditum elatere; quod ab acri humore magis irritatum vehementer oſcillat, & oſcillationibus iſtis fluidorum circulum mille modis turbat. (*dictorum morborum eadem cauſa & curatio, ac hydropis ſicci, ſive tympanitidis ſuperius deſcriptæ.* Hydrops ille ſiccus verius poſſet vocari: *Tympanitis inflammatoria*; *Stoll.*

§. 140.

Eryſipelas pulmonum ab *Hippocrate* l. de affectionibus deſcribitur. In pulmonis eryſipelate adſunt vomitus aquoſi, acidique humoris, frequens leipothymia, dolor acutus, anteriora & poſteriora pectoris occupat, ſitis ingens, æger reſpirando nares aperit, veluti equos a curſu delaſſatus, & linguam foris exerit, veluti canis æſtate, calefactus ab ardore ſolis; rubet facie, jactatio magna per lectum, ſeptima die moritur. Gravis eſt morbus & pauci effugunt mortem, teſte *Hippocrate.* (*graviſſima pulmonum inflammatio utriusque lobi cum inflammatione mediaſtini videtur abſolvere totam eryſepelatis pulmonici ideam. Stoll.*)

De morbis ſolidorum ſuperius deſcriptorum hæc adhuc dicenda ſunt. His in morbis ſanguis miſſus, cruſta inflammatoria ſæpiſſime caret, ſaltem initio; hinc idea malignitatis oritur, quæ medicum ad præſcribenda antiſeptica: camphoram; corticem &c. determinat; ſed male. Nam repetita venæ ſectio, potusque emollientes mucilaginoſi, fibras nimium criſpatas, irritatasque relaxabant feliciſſime. V t um enim eſt potiſſimum in ſolidis nimium elaſticis, nimium vivida irritabilitate præditis, quæ accedente ſtimulo, etiam tenuiori quam qui in ſanguine educto obſervari poſſit, criſpantur, & *veram inflammationem* faciunt. Ad inflammationem gignendam ſolida plus conferunt quam liquida. Cruſta phlogiſtica videtur eſſe potius effectus inflammationis quam cauſa. Vera enim adeſt perſæpe inflammatio absque cruſta. Patet quam male cortex & camphora his in caſibus darentur. *Stoll.*

§. 141.

Fol. 92. lib. 1. prax. medicæ deſcribit *Baglivius* catarrhum ſuffocativum, tanquam peripeumoniam ſanguineo-ſeroſam graviſſimam, ſubitoque ortam, repetita venæ

næ ſectione, dein aqua hyſopi calida, decoctis pectoralibus calidiſſime ſumptis; infuſo calidiſſimo florum ſambuci, cum liquore cornu cervi ſuccinato &c. curandam.

§. 142.

Scorbuticiv & hypochondriacis ſæpe fiunt dolores lumborum, qui calculum mentiuntur, ſed calculus non eſt; rheumatismi ſpecies eſt, a ſero acri, muriatico, hinc inde vagante dependens; pete ab ægro, ſi dixerit alias partes hujusmodi quoque dolore vexatos fuiſſe; dic, lumborum dolorem eſſe a fluxione vagabundi humoris acris ſalini, non autem a calculo. Viola, ſerum lactis, lenes ex caſſia purgationes in principio juvant. In progreſſu morbi ſerum cnm ſcabioſa coctum, vel cum vipris recens mactatis curationem perficit & complet; promoto leniter ſudore.

§. 143.

In lumbis aliquando afficitur muſculus pſoas, aliquando ren; Muſculi externi & frequenter meſenterium; hunc dolorem lumborum vitio meſenterii in äere romano in ægris almæ urbis frequenter! ſ obſervavi (Bagl.); in hac urbe nulli morbi tam copioſe regnant, quam morbi meſenterii ex repletione, congeſtioneque putris cacochyliæ

cru-

crudorumque humorum, in ejusdem glandulis pendentes; & quoniam meſenterium forti ligamento alligatur lumbis in medio eorum &c. Ex longa alvi ſuppreſſione, vel alvo præter morem retardata, ex ſapore linguæ mutato, levi inappetentia, gravitate totius corporis certior medicus fit dolorem lumborum a repletione meſenterii pendere. Clyſteribus & fomentationibus ventris curationem incipit, dein purgationibus abſolvit *Baglivius*; quod vult, ut bene ſibi notent medici.

§. 144.

Impotentia veneris ut plurimum pendet ab impotentia & debilitate imaginationis, quacunque id de cauſa ſuccedat, metu, pudore, judicii defectu, nimia adplicatione ad ſtudia, aut ad negotia. Et qui forti imaginatione præditi ſunt, uti ſunt, qui in arte ſua ſupra cæteros excellunt, & præſtant, ut plurimum luxurioſi & ad venerem potentes obſervantur. — — — niſi tamen vis corporis ſtudio & applicatione frangatur, quo in caſu judicium acre cum veneris impotentia jungitur.

§. 145.

§. 145.

Qui gonorrhea laborarunt in juventute, ſolent in ſenectute diro urinæ ſtillicidio vexari.

§. 146,

Nimius vini & aquævitæ abuſus impotentiam veneris, paralyſes, tremores, aliosque capitis morbos parit, qui dimiſſo eodem facile ſolent ſanari.

§. 147.

Dolor fixus in medio pectoris diu perſeverans, ac moleſte, ſine tuſſi &c. ſignum eſt luis gallicæ latentis multis ante annis ab ægris ſuſceptæ, & hoc ſigno ſe ſolum manifeſtantis.

§. 148.

Si debitis adhibitis remediis aliquis morbus minime cedat, ſuſpicari rite poterit de lue gallica, & tunc antigallicis forſan cedet, ut ſæpe obſervavi (ita Baglivius.)

§. 149.

In febre lenta cum doloribus vagis partium, macie, temperamento acri, & lue gallica fruente ſerum lactis ita præſcripſit *Baglivius*: R. Seri lactis optime depurati Lib. j vel plus, vel minus, ſarſæparill. conciſ.

cis. & contusæ ʒjj. macera per noctem in cineribus fervidis; mane adde coriander. præparat. parum bulliat, coletur & bibat.

§. 150.

Acidum venereum virulentum sæpe intacta massa sanguinea succum nutritium & lympham inquinat, indeque partes nerveas & glandulosas, potissimum narium, faucium, inguinum, invadit, & quoniam sanguis intactus a lue supponitur, nil mirum, si observaveris tales gallicos vivaces, rubicundas facie, vegetos, ac veluti nullam interius habentes affectionem ac proinde triumphantes de morbo, sed sine ratione. — — morbus difficilior est, quam si resideret in sanguine.

§. 151.

In morbis lymphæ, glandulas occupantibus, si nimium siccaveris, malum; si nimium humectaveris, malum. Per intervalla itaque diluendum, humectandum, ad alvi vias vel sudorem ducendum, & cum prudentia exsiccandum.

§. 152.

Pro varietate conditionis ac status personarum lues gallica variis in locis sedem figit, eosque præ aliis vehementius molestat. In bajulis & plebeiis victum labore

que-

querentibus ſedem figit in articulis, unde articulorum doloribus, motus impotentia, ſimilibus articulorum morbis maxime afficiuntur, viris literatis & ſtudioſis in capite ſedem figit. Muſicis ob pulmones cantu exercitatos, debilitatosque in pulmonibus; mulierculis, atque etiam matronis ob vitam otioſam & congeſtos in meſenterio pravos ſuccos, ibidem. Hinc vexantur cruditatibus, obſtructionibus, inappetentia, pallore vultus, hectica meſenterica, tabe, hydrope, & ſimilibus ex lue gallica.

§. 153.

Dantur dolores lateris ex lue gallica, qui ſolo ſanantur mercurii litu, & decocto lignorum, noctu rigent, conſuetis remediis non cedant.

§. 154.

Radix bardanæ a pluribus doctiſſimis viris pro magno ſecreto habetur ad curandam luem gallicam.

§. 155.

Ex mente *Baglivii*, *Etmülleri* opera ſemper præ manibus habenda, utpote practici, ut ait, præſtantiſſimi.

§. 156.

§ 156.

Lues gallica, ſtruma, & elephas aliquid habent cognatum, Tres has hydras unus alexicacos Hercules hydrargiroſis vincit, docente optimo *Ballonio*.

§. 157.

Si ægroti corpus repletum ſit viſcidis, craſſis ac pituitoſis humoribus, cave ne dederis mercurium intus vel extra, niſi prius viſciditates illas ſolveris, præparaveris, & repetitis purgationibus eduxeris; alias enim occultatis in illis viſciditatibus mercurius, paulo poſt referveſcentibus humoribus, & in motum actis, graviſa parit accidentia, caries oſſium, atrophias, glandularum tumores, tremores, continuam ſalivationem. &c.

§. 258.

Dolor colicus fere ſemper miteſcit in ſemicupio; ideo in doloris pertinacia utere ſemicupio.

§. 159.

Dolores ventris a deambulatione nudis pedibus ſuper nudum pavimentum facta, appoſitis lateribus calidis plantis pedum ſtatim ſanantur, creſcente namque calore in pedibus minuitur ſenſim dolor in ventre.

§. 160.

§. 160.

Arcanum quemdam ac inexplicabilem consensum observavimus inter morbos ventris ac morbos cutis. Dolorem colicum vidimus mutatum in arthriticum; & e contra dolores arthriticos per supervenientem diarrhæam & colicam solutos: hinc quadrat illud Hippocratis, alvi laxitas, cutis densitas; cutis raritas, alvi densitas. Ideo observamus in praxi, quod diuturnæ diarrhææ irritis aliis per diaphoretica potissime sanentur.

§. 161.

Diaphoretica cum opiatis mixta felicissima sunt in colicis.

§. 162.

Colica habitualis & endemia à vini acido præsertim oriunda, solis sanatur sudoriferis, vesperi tamen interposito anodyno remedio.

§. 163.

Purgantia quandoque bene cedunt in colica, præsertim si nulli adsint vomitus & febris, denturque in forma liquida.

§. 164.

In re Romano per adhibita aë phreniticis vesicantia plures vidimus mortuos,

quam ſanatos; magisque nocuiſſe, quam profuiſſe; ceterum longiorem uſum res hæc magni momenti meretur.

§. 165.

In eodem aëre obſervavimus veſicantia mulieribus delirantibus admota profuiſſe magis, quam viris, & plures ſanatas eſſe.

§. 166.

Dum imminet delirium, vel jam factum eſt, loco veſicantium ſecare ſoleo. (Baglivius) venam pedis, vel ſalvatellam in alterutra manu, exinde diluentia ex ſeminibus frigidis præſcribo, brevique jugulatum vidimus delirium.

§. 167.

Delirantibus cum febre acuta, lingua arida, & indiciis magnæ viſcerum inflammationis, ſi applicentur veſicantia, omnes fere in pejus ruunt, & magna ex parte moriuntur convulſi; iisdem e contra ſi venam frontis vel brachii ſecandam imperaveris, & exinde larga dederis diluentia, faciliime ſanabuntur.

§. 168.

Malum, ſi phrenitis mutetur in lethargiam, non ita, ſi lethargus in phrenitidem.

§. 169.

§. 169.

Multi dementes & maniaci ſanati fuerunt demergendo eos in aquam eadem methodo, qua merguntur hydrophobi, quorum unica curatio eſt repetita in aquam immerſio; methodum hanc ſanandi mente captos in Anglia expertus eſt Dominus Robertſon maxima felicitate. (*Fors proliciendo copioſos ſudores prodeſſe. Stoll*)

§. 170.

Si difficulter ſpiraverit, venam brachii tundito, etiamſi hydrope laboraverit. Baglivius ex Hippocrate.

§. 171.

Si quis veſperi hora ſomni, ſed præcipue poſt tres aut quatuor horas ſomno impenſas, derepente expergiſcatur ingenti aſthmate, ſive ſuffocatione correptus, atque feneſtras aperiat, liberumque äerem deſideret; pro certo habeto illum hydrope pectoris laborare, multo magis, ſi pedes aut manus tumere cœperint, cum faciei a nativo colore receſſu, & præ ceteris ſi accedat torpor, ſeu incipiens brachii paralyſis; hujusmodi brachii torporem in aliis quoque pulmonum morbis, præſertim peripneumonia obſervamus; aſthmate laborantibus

ſi pleuritis vel peripneumonia ſuperveniat, fere ſemper moriuntur.

§. 172.

Aſthmaticis dyſuria ſuperveniens bonum, ceſſante ischuria, denuo aſthmate corripiuntur. Exinde magis confirmatur, quod pluries adnotavimus; nempe in morbis pectoris, ſemper ducendum eſſe ad vias urinæ, natura id monſtrante; nec non, magnum conſenſum eſſe inter tibias & pudenda & pectus, morbosque harum partium ad invicem commutari.

§. 173.

Diuretica ex ſalibus lixivialibus & acidis parata in morbis pectoris non adeo tuta ſunt, nam tuſſim movent, & morbum exaſperant; contra pulvis millepedum, therebinthina.

§. 174.

Balſamum peruvianum, decoctum radicum aperientium, ſyrupus de althæa Fernelii, urinam potenter movent, nec tenellis pulmonum membranulis infenſa ſunt.

§. 175.

Aſthmaticis ſi excitentur apoſtemata in cruribus, forſan ſolvetur morbus; ideo juvant cauteria in cruribus.

§. 176.

§. 176.

Accessiones asthmatis frequentiores sunt cœlo frigido & humido, præcipue inter crapulandum.

§. 177.

Asthma frequentius invadit obesos & otio macescentes.

§. 178.

Pulsus inæqualis familiaris est pulmonum morbis quam plurimis.

§. 179.

Morbi ad crura & pudenda solvunt asthmata. Tument pedes asthmate cessante.

§. 180.

Ex scabie retropulsa si fiat asthma, cum scabioso dormiendum est, ut scabies revocetur, vel urticis cedenda cutis, Baglivius.

§. 181.

Vomitoria juvant in asthmate humorali & stomachico, quia ea concussione e pulmonibus ejiciuntur visciditates &c.

§. 182.

Magnam asthmatum humoralium crudorumque partem a stomacho pendere observavi; hinc juvant pillulæ de hiera, & sin

gulo mane cochlear oxymellis ſquillitici, ſuperbibendo juſculum cichoreatum, addito pauxillo cujusdam roborantis. Gummi ammoniaci, oxymell ſquilliticum, julep tabaci in aſthmate humorali & ſtomachico omnibus præſtant.

§. 183.

Aſthmaticas mulieres fere ſemper cum uterinis, mixtis pectoralibus, curato.

§. 184.

Diluentia, ſerum lactis, viola, emulſiones ſeminum melonum, gelatina cornu cervi, lac in caduco pulmonum morbo, ſive aſthmate ſicco præ ceteris juvant. Saccharata, remediorum copia, purgantia fugienda tanquam peſtis.

§. 185.

Aſthmate convulſivo laborantes melius manent æſtate, quam hyeme.

§. 186.

Diarrhææ frequenter oriuntur ex mœrore, & animi pathematis, ſuntque fere incurabiles, præſertim ſi cauſa mœroris perſtiterit.

§. 187.

Pernicioſæ ſunt diarrhææ in morbis pectoris. Curationem diarrhææ non incipias

pias per adſtringentia, nam introduces viſcerum obſtructiones & inteſtinorum, difficile ſolubiles, quibus tandem ſuccedit hydrops pertinax.

§. 188.

Carnium eſus auget diarrhæas, cave igitur ab iis, quantum poteris.

§. 189.

Nil magis alvum ſtypticam reddit, quam uſus veneris, quod etiam cognovit *Hipp.* 7. epid, aliique.

§. 190.

Maſticando tota die cinamomum & deglutiendo ſalivam illam diarrhæis & languoribus ſtomachi cum dyſenteria brevi ſanantur.

§. 191.

Inveteratis alvi fluxibus, dyſenteria, teneſmo, relaxatione ani &c. excipiatur per inferiora vapor therebinthinæ prunis ardentibus injectæ, & ſanabuntur.

§. 192.

Bonum, ſi diarrhæa iræ ſuperveniat, & ſi hæc non ſuperveniat, febris ſuperveniet.

§. 193.

Cave in cura dyſenteriæ a nimia remediorum farragine; pauca ſint & ſimplicia; ideo ſæpiſſime dyſenterias profligavi ſolo ſero lactis intus dato, & per clyſteres quoque injecto, multique autores pro magno ſecreto habent hoc remedium in dyſentericis.

§. 194.

Clyſteres copioſius dati in dyſenteria, morbum exacerbant.

§. 195.

Si ſtatim poſt dolorem excretio non fiat (in dyſenteria) ſcito, quod inteſtina tenuia ſint læſa.

§. 196.

Differt dyſenteria a ſanguinis fluxu hæmorrhoidali; in hoc enim ſemper ſanguis præcedit foeces; in dyſenteria vero ſanguis vel cum vel poſt fœces excernitur.

§. 197.

Dyſenteria in puerperis non eſt mala, nam lochiorum materiam per vicina loca optime minuit. Cave igitur ne ſtringas, nam per eam lochia expurgantur.

§. 198.

Febris raro ſupervenire ſolet apoplexiæ, præſertim pituitoſæ.

§. 199.

Si catochus in ipſa acceſſione febtis intermittentis, aut remittentis ſuperveniat, durante acceſſione nulla contra eum præſcribantur remedia, nam omnia erunt in perniciem ægrotantis, exceptis frictionibus & revulſionibus, quæ adhiberi poterunt in acceſſione: finita acceſſione deſinit quandoque & catochus, ſi vero non deſierit, ſtatim ſanguis mittendus, aut purgandum pro indicatione utrorumque: ſi vero ſecundo ſupervenerit, mortem affert; neminem enim liberatum vidimus, cui ſecundo catochus ſupervenit, ut notat Dodonæus in ſuis doctiſſimis obſervationibus.

§. 200.

Rhodius in *Septalium* refert ex *Ballonio*, quod in omnibus affectibus comatoſis præcipue lethargo & apoplexia, pulſus dum ex parvo fiebat magnus, & ſenſim in magnitudine creſcebat, ægrotantes brevi moriebantur. Idem etiam obſervavit Walliſius: hac de re ſerio monet *Baglivius*.

§. 201.

Obſervavimus in xenodochio anno 1694. hyemali tempore Romæ, quod quando apoplexiæ erant graviſſimæ, etiam confirmatæ, veſicantia non admodum conferebant, imo omnes fere tales ægroti moriebantur.

§. 202.

Spuma omnis lethalis eſt in apoplexia. *Hipp.* 2. Aphor. & *Tulpius* l. obſerv. med. 6. & *Foreſtus* 10. obſerv. 74 idem etiam *Rhaſes.*

§. 203.

Si dolores in quacunque corporis parte periodice exacerbantur, & ſtata quaque hora recurrunt, peccans illorum materies in loco affecto non generatur, ſed aliunde venit: in his caſibus tribus horis ante invaſionem detur lenis potio purgans, & ſanabuntur; præcipue ſi imo ventre hæc fiant.

§. 204.

Doloribus externarum partium, ſi alia non proficiant, ad cauſticum devenias. Ipſe uti ſoleo foliis ranunculis vel mixtura ex calce viva & ſapone liquido. Hoc iſchiaticis ſummopere confert, imo & aliis do-

lori-

loribus, juxta illud Hipp. l. de intern affectionibus §. 19. & l. de affect. §. 30.

§. 205.

Ter aut quater observavit (*Baglivius*) dolores capitis pertinacissimos & fere ad maniam accedentes, irritis aliis, solo pulvere de gutteta (de quo vide *Riverius* cap. de epilepsia) ad ℥j. circiter dato cum brodio alterato florum primulæ veris, beton. vel cum decocto Thée &c. feliciter cessisse.

§. 206.

Ad dolores externos spiritus salis ammoniaci cum oleo amygdalarum dulcium mixtus breviter & feliciter proficit, & didici per experientiam, quod spirituosa cum unctuosis mixta doloribus optime medeantur, non ita sola spirituosa.

§. 207.

Omnes fere convulsiones infantum a stomacho sunt, unde iis statim morbum solvunt lenia purgantia, præsertim infusum rhabarbari.

§. 208.

Ex abortu convulsæ mulieres raro evadunt, ut notavimus.

§. 209.

§. 209.

Utile eſt obſervare, num ſemper eo tempore quo infans corripitur epilepſia, matri fluant menſes, nec ne.

§. 210.

Tuſſis infantum fere ſemper a ſtomacho cruditatibus ſcatente eſſe ſolet; quo in caſu ſemper ſtomacho proſpiciendum, non poſt habtis tamen pectoriis remediis.

§. 211.

In tuſſi ſicca ex humorum acrimonia, eorumque tenuitate producta uſus lactis præſtantiſſimum eſt remedium; ego uti ſoleo lacte cum jure carnium vel aqua violarum cocto.

§. 212.

Si tuſſis cum febre pertinaciter afficiat ægrum, & nullis cedat remediis, in tabem migrat, etiamſi ſanguis non ſpumatur.

§. 213.

In tuſſi præſertim pectorali purgantia datam practicorum fidem non liberant; imo ſi ex aëris inclementia tuſſis contracta fuerat, plus nocent.

§. 214.

Boli ex butyro recenti cum ſaccharo mixti & veſpera ſumpti vehementiſſimas tuſſes catarrhales demulcent.

§. 215.

In tuſſi convulſiva infantum decoctio ex muſco arboreo præſertim ex quercu pendente, omnium præſtantiſſima eſt, ut nos experi ſumus, monente *williſio.* Valet quoque in aliis morbis convulſivis.

§. 216.

Spiritus cornu cervi contra tuſſes vehementiſſimas mirabilis eſt. *Boyle* de utilit. philoſophiæ.

§. 217.

Dolorem lumborum rheumaticum a nephritico per hoc certiſſimum ſignum diſtinguere poteris: pete ab ægro, an dum in terram incurvatur, & exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo, ut per medium quaſi ſcindi videatur; ſi hæc adſint, pro certo habeto, dolorem illum non eſſe nephriticum, ſed rheumaticum, productum ſcilicet ab acribus, & muriaticis ſalibus, per ſeroſum humorem illinc depoſitis.

§. 218.

§. 218.

Ad rheumaticos hos lumborum dolores potum lactis cocti cum aquae decoctione Theae & mane sumptum ad ℔j. circiter, felicissime sum expertus. Hoc idem remedium podagricis & calculosis forsan non obesset.

§. 219.

Melopeponum comestio podagricis & calculosis maxime prosunt, dummodo venus, vinum & otium absint.

§. 220.

Dolores renum a quinque causis potissimum fiunt, fluxione, scilicet (sive humoris seroso—acris & corosivi depositione) ulcere, inflammatione, lapide, & abscessu.

§. 221.

In nephritide sensus subitaneus rei pungentis, veluti aculei in regione ureteris, signum est certissimum calculi hac parte jam impulsi.

§. 222.

Potus aquarum mineralium calculos pellit, & ab iisdem praeservat: ubi vero hae in promtu non fuerint, substitui poterit decoctum ex multo eryngio parum contuso factum, quo vinum album diluatur,

&

& copiose bibatur. Siquidem hoc remedium potenter sublevat calculosos et podagricos, teste *Chesneau.*

§. 223.

Hæmorrhoidum internarum dolor mentiri solet dolorem calculi in vesica latentis; hic tamen multo est atrocior & frequentior, quam ille.

§. 224.

Si frequenter mentulam cont rectetpatiens, & cum mingere incipit, desidendi quoque voluntate teneatur; si, dum per urbem incedit, divaricatis cruribus obambulet, ex tribus hisce signis de calculo vesicæ certior fias.

§. 225.

Facto semicupio, & præsertim postquam dolor quieverit, si eadem vehementia die sequenti serius aut citius revertatur cum vomitu, dolorem esse nephriticum pro certo habeto. *Chesneau.*

§. 226.

Nuper arthriticus quidam Romæ excrevit urinam crassam & copiosam, quæ paulo post in consistentiam gelatinæ coagulata fuit, & ita liber evasit ab arthritide.

§. 227.

§. 227.

In ipſo paroxyſmo doloris nephritici, lithontriptica & aperientia medicamenta obſunt potius, quam proſunt. Conferunt contra emollientia, laxantia, & anodyna &c.

§. 228.

Lenia purgantia & clyſteres ſummum levamen afferunt calculoſis & podagricis.

§. 229.

Dolor fixus in regione renis, & vomitus continuus ſunt præcipua ſigna doloris renalis a calculis; cetera ſunt dubia & aliis ventris doloribus communia.

§. 230.

Pleuritici, quibus abſceſſus fiebant ad aures, omnes ſanabantur, ut pluries vidimus.

§. 231.

Obſtructione viſcerum laborantibus, ſi facies vividum & naturalem ſervat colorem, talium hominum curationem ſuſcipito; nam facile ſanabuntur. Si vero &c. Uteri tamen cancro affectis aliter ſe res habet: in iis namque faciei color a naturali non recedit, ſed genas perpetuum roſeas habent.

§. 232.

In peripneumonia si febris, tussis, & reliqua symptomata exacerbentur quinta die, quo major exacerbatio, eo mors citior die septima.

§. 233.

Si ructas acidum, abstine a vino, & sanaberis: loco vini aquam aniso aut cinnamomo alteratam sumito; sanatus vero, denuo vinum assumas.

§. 234.

Ischiade correptis eadem hora vel paucis elapsis a prima doloris invasione, si purgans medicamentum dederis, vix absoluta hac, aut ad summum altera, quam propinaveris purgatione, æger certo sanabitur; non ita vero, si morbus ad plures dies vel menses fuerit protractus.

§. 235.

In morbis nunquam ab ægro discedas, donec linguam inspexeris: hæc statum sanguinis præ aliis signis & apertius & certius nobis indicat &c.

§. 236.

Petechiæ quo tardius & fere circa morbi statum erumpunt, eo meliores sunt, ad crisin enim & coctionem jam vergit morbus,

bus, contra ſi appareant in principio morbi, malæ ſunt &c.

§. 237.

In febribus intermittentibus, ſi ſecundus paroxyſmus erit vehementior primo; tertius vero maximopere mitis, ſcias febrim circa quartum paroxyſmum totaliter ceſſaturam: ſi quartus paroxysmus vehemens fuerit: quintus vero magna ex parte remiſſior, tum in ſeptimo paroxyſmo integra febris ſolutio exſpectanda.

§. 238.

Conſtans eſt doctiſſimorum medicorum obſervatio, nonnullos morbos pertinaces & chronicos, præſertim a longo mœrore & animi pathematis productos, nullis aliis remediis celerius obtemperare, quam equitationi in aëre ruſticano.

§. 239.

Equitationem commendat ante Sydenhamum *Hippocrates*. Libr. de diæta.

§. 240.

Filii magnatum frequentius ex inutili remediorum copia, quam ex vi morbi pereunt; præſertim ſi acute laboraverint; paucis utaris, & cum prudentia.

§. 241.

§. 241.

Iliacæ paſſioni ſi ſpontaneus alvi fluxus ſuperveniat, aut acuta febris, brevi morietur æger.

§. 242.

Iliacæ paſſioni quo fortiora adhibueris remedia, ſive purgantia, ſive clyſteres magis irritantes, eo magis obſtruetur alvus ob auctam ab illis fibrarum inteſtinalium criſpaturam, & contracturam; conveniunt magis anodyna, emollientia & diſſolventia &c.

§. 243.

Si illo ſuperveniunt urinæ ſuppreſſæ, ſtranguria, ſingultus, ventris inflati, aut convulſiones, malum erit lethale.

§. 244.

Mulieres gonorrhea laborantes vel menſtruantes circulum lividum, ſive plumbeum ſub oculis habent, quod inter diagnoſtica morborum muliebrium eſt reponendum.

§. 245.

Urina ſubjugalis, quando in acutis febribus, aut morbi apparet, ſemper mala capitis prænuntiat &c. — Sicut urina ſubjugalis mala eſt in acutis, ita contra bona eſt in nonnullis chronicis, utpote rheumatiſmo, doloribus articulorum.

§. 246.

Inter ſigna fœtus mortui in utero ab auctoribus recenſita certiſſimum & fere infallibile eſt teneſmus, ſive crebra voluntas fœces dejiciendi, mulieri ſuperveniens, ut alibi quoque notavimus.

§. 247.

Saccharata hypochondriacis, hyſtericis & pueris non conducunt.

§. 248.

Lingua ſordida & manus tremulæ, in acutis ſemper periculum portendunt.

§. 249.

In malignis febribus, in quibus a centro ad ambitum corporis noxius humor pellendus eſt, ante expulſionem, reſpiratio laborioſa eſt, & ingentes præcordiorum anxietates adſunt. Facta expulſione paulatim declinant: idque in febribus petechialibus, morbilloſis, varioloſis, ſcarlatinis & ſimilibus obſervavimus non ſemel.

§. 250.

Prutitus narium eſt infallibile ſignum ſynochi ſimplicis, nec non lenis mador cutis. Ex *Waldſchmidtio Baglivius.*

§. 251.

Obſervevi lypiriam febrim ſuperveniente cholora ſtatim ac prorſus pluries feliciter ceſſiſſe; non ita apparentibus ſudoribus, aut urina &c. *Lypiria febris eſt febris biliosa, ſive ea, quæ a ſaburra putrida biliosa primas vias occupante oritur;* frequens eſt *menſe auguſto, in Hungaria præcipue, vidi ipſemet ſæpiſſime ſponte orta cholera cito ceſſiſſe. Curatur optime emeto catarrſi, quale medicamentum habetur in tartaro emetico magna aquæ quantitate ſoluta, & per epicraſin ſumto. Plura vide apud Tiſſotum in libello de febre biliosa, Lauſannenſi. Stoll.*

§. 252.

Cum petechiis nunquam ſalutarem vidimus hæmorrhagiam &c.

§. 253.

Guttas roſaceas aliasque faciei morboſas rubedines, irritis aliis, cauterium cruribusaffixum ſanat, *Baglivius ex Mercuriali*; idque quibusdam pro ſecreto eſt.

§. 254.

In faciei morbis purgantia omnem ab ſolvunt paginam, ut præter experientiam teſtatur divinus ſenex in coacis, item l. c. de diæta.

§. 255.

Febres, quæ cum magna ſyncope, ſingultu & vertigine incipiunt, vocantur a medicis *ſyncopales*, *ſingultuoſæ*, & *vertiginoſæ*; harum curatio ſtatim inchoanda a vomitoriis eſt; nam fomes febrilis in ventriculo latet.

§. 256.

In febribus, vel aliis quoque morbis, qui cum magna anxietate incipiunt, ægri inquieti ſunt, loco ſtare neſciunt, hinc inde per lectum agitantur &c. acris humor tunicas ventriculi afficiens accuſari debet, unicum remedium eſt vomitivum antimoniale, nam abſoluto vomitu ſtatim liberatos vidimus; multo magis ſi cardialgia & affectibus ſtomachi ſenſibiliter lædatur patiens: poſt vomitoria ad præcautionem dari poterit pulvis March. cornachini.

§. 257.

In lethalibus pulmonum morbis, cum febre & ſine febre, fere ſemper circa finem obſervavimus affectiones capitis; ſopores nempe, lethargum, vertigines, oculorum caligines &c.

§. 258.

Eryſipelate faciei laborantes vidi brevi curatos poſt præſcriptum purgans remedium, naturæ ægri accomodatum. Idque in ſecretis erat medico Patavino mihi amiciſſmo.

§. 259.

Proteſt venarum hæmorrhoidalium apertio iis præcipue, qui hypochondriorum morbis, doloribus ſcilicet & caloribus eorundem, gravitate lumborum, flatibus, tenſionibus, borborygmis, aliisque hujusmodi naturalium viſcerum, & quam plurimis vitalium, & animalium laborant. *Hippocrates* autem ait l. de humoribus & 6. epidem. qui hæmorrhoidibus laborant, ii neque pleuritide, neque furunculis, neque tuberculis a ciceris magnitudine Therminthi dictis, ac forte, nec lepra nec vitiliginibus laborant.

§. 260.

Si pleuritici non repurgari incipiant die quarta, ſed febris augeatur cum aliis ſymptomatibus, nec non magna ſpirandi difficultas cum ſtertore ſuperveniat, ſeptimo die moriuntur: in hiſce pedes tumefieri incipiunt ante mortem, & oculi caligant.

§. 261.

Calculum veficæ ad amuffim mentitur fcirrhus veficæ, ut bis in cadaveribus vidimus.

§. 262.

Urina craffa, & fedimentofa, albicans, vifcida, matulisque adhærens inter, figna calculi in vefica non infimum locum obtinet.

§. 263.

Qui aneurismate interno laborant, vel ex fputo fanguinis, vel derepente moriuntur: caveant hi omnes a nimio motu, ira, venere, liquoribus fpirituofis, & quidquid fanguinis motum adauget & perturbat. Utendum diæta lactea, cibis aliquantum vifcidis, & motu moderato.

§. 264.

Pulfus durities femper comitatur pleuritidem, mollities vero alios pulmonum morbos: quod tibi fit inter figna diftinctiva morborum pectoris difficillime cognofcibilium.

§. 265.

Si quis tuffiendo alba quædam veluti granula excreaverit, & granula illa compreffa digitis fummopere fœteant, vomicam pecto-

pectoris latentem certo denuntiant, præsertim si alia quoque aderint signa; hi rupta vomica, ut plurimum derepente moriuntur, ut observat *Forestus*.

§. 266.

Omnes aliarum partium suppurationes manifestantur per rigorem & febrim supervenientem; sola pulmonum suppuratio, id est vomica eorundem, clanculum, & sine prædictis signis supervenit; quod serio notent juvenes.

§. 267.

Si angina vera inflammatoria, & ut vocant, sanguinea, bina sanguinis missione non cedat, cucurbitulas scarificantes scapulis imperato, & in melius statim abibit, ut pluries vidimus.

§. 268.

Mulierem frequenter anginæ obnoxiam, irritis aliis, liberari excitato cauterio in brachio; imo in morbis circa collum, & faciem proficua semper sunt cauteria, & scarificationes scapulis &c.

§. 269.

Si in morbo aliquo appetitus sit prostratus, postea vero derepente superveniat

maximus, non procedente ulla crisi, nec iminutione morbi, paulo post moriuntur ægri; significat enim cerebri læsionem & virtutis sensitivæ extinctionem. Est hoc monitum *Sennerti.*

§. 270.

Nemo ante Baglivium vim corticis peruviani expertus est in clystere. Hic enim primus puero quinqueni omnia remedia per os sumenda respuenti, in tertiana duplici, injecto mane clystere evacuante, post elapsam semihoram curavit injici aliud ex aqua hordei & drachmæ unius corticis. Idque repetiit singulis diebus. Post injectum tertium clysterem febris cessavit.

§. 271.

In pleuritide & puerperio tanquam pestis fugienda sunt purgantia.

§. 272.

Præcipui puerperarum morbi fiunt a suscepto frigore, ab animi passionibus, victu copioso ac frigido.

§. 273.

In superpurgatione statim prodest theriacæ drachma una in vino data. Ita observavit *Dodonæus & Baglivius.*

§. 274.

§. 274.

Duo maxima remedia in chronicis obstructionum morbis ſunt, chalybs & rhabarbarum. Ita præſcribit *Baglivius* R. Chalybis ſulphurati vel alterius gr. XV. Rhei elect. ſcrup. j. M. Sumat pro doſi, & ſuperbibat.

§. 275.

Morbi ab animi pathemate pendentes blande & leniter tractandi ſunt: a nimia medicamentorum copia & vehementia quam maxime abſtinendum.

§. 276.

Deſideramus hiſtoriam morborum ab animi curis provenientium, in qua ſcilicet explicetur, qui potiſſimum morbi a quovis animi motu oriantur &c. nam e. g. mœror nil aliud frequentius producit, quam diarrhæas, qua diu perſiſtente mœroris cauſa, fiunt incurabiles, quibus denique febris erratica ſupervenit, & atrophia ac mors.

§. 277.

Ad iram pariter diarrhæa ſupervenit, & ſi hæc non ſuperveniat, febris ſupervenit, dummodo ingens fuerit ira.

§. 278.

In gallia ſutura tendinum vulneratorum, operatio bubonoceles, cura ulcerum chro-

nico-

nicorum feliciter ſuccedunt, contra in aëre romano, etiamſi a ſolertiſſimis chiriatris inſtitutæ fuiſſent dictæ operationes, in ſummum vitæ diſcrimen conjiciebant ægrotantem. Febres ſemitertianæ, quæ alibi raro in malignas tranſeunt, Romæ magna ex parte ſunt malignae, vel potius valde periculoſæ, quod & olim *Galeno* Romæ degenti innotuit.

§. 279.

Vetus Latium deſertum fere hodie eſt, & ſquallidum; auſtri flatibus immediate objicitur, & variis ejusdem in locis inſaluberrimus aër obſervatur — — Aeſtivo præſertim tempore. Pernoctantes ibi febre maligna corripiuntur — — eſtque febris ſui generis — — ſigna coagulationis in eodem apparent; ideo obſervatur, uſum veſicantium & alexipharmacorum eidem ſummopere prodeſſe, contra ſanguinis miſſionem eſſe quam maxime pernicioſam. *Coagulatio* Baglivio id fuit, quod nobis *putredo* aut *diſpoſitio ad putredinem eſt. Stoll.*

§. 280.

Qui copioſis ciborum ingurgitationibus absque noxa indulgere cupiunt, oportet ut

vel

vel multum exerceantur, vel alvum bis terve per diem solutam procurent.

§. 281.

Purgantia forma pilulari exbita nec copiose, nec feliciter alvum solvunt. Contra. forma potabili, & mediocri dosi magnam afferant utilitatem.

Si etiam purgantia forma sicca præscribantur, tamen incipiente operatione bibatur aqua leniter purgans, saltem brodium tenue, aut e. g. Rohitiensis. Diluentium usus non tantum in purgantibus forma sicca præscriptis, sed & in aliis forma sicca & spirituosa indole præditis Stoll.

§. 282.

Romanis alvum liberam & exercitationem summopere suasit *Baglivius*. Doctissimus *Petronius* adinvenit electuarium purgans, ab ejus nomine alexandrinum dictum: nobile quoque dedit opus de victu Romanorum — — atque tria urbis incolis familiaria mala esse, scilicet 1. capiplenium 2. membrorum lassitudinem, & 3. alvi siccitatem.

§. 283.

In curatione vulnerum atque ulcerum cavendum erit ab unguentaceis remediis, per

per quæ ſæpius in pejus ruunt. Poſt vero balſamica, decoctiones vulnerariæ, ſpiritus vulnerarii.

§. 284.

In acutis cunctatio & ſagax medici in agendo judicium, magnam vim habent ad ſanationem, & quamvis ſæpiſſime ſponte ſua ſolvantur nunc caſu, nunc natura favente, nullibi tamen graviores committunt errores medici, quam in acutorum curationibus.

§. 285.

Inepta Galenicorum hypotheſis fuit in affectione hypochondriaca de *hepate calido & ventriculo frigido.*

§. 286.

Diuretica in morbis pectoris generaliter optima ſunt, rejectis tamen diureticis acidis, quæ noxia & inſida, pulmonemque erodentia, ac ſanguinem in eo figentia, ut experientia conſtat.

§. 287.

Chinchina remedium eſt profecto herculeum in curatione intermittentium, dummodo tamen non detur ſi aderit, ſuſpicio inflammationis alicujus viſceris, vel abſceſſus interni, vel etiam morboſa partis alicujus

cujus debilitas & dispositio; nam talibus in casibus non tollit, sed auget febrim, omnem materiam morbosam in affectum locum deponendo, ac figendo &c..

§. 288.

Ad demulcendos vehementes partium dolores insigne remedium est bezoardicum joviale, momento namque impetum spirituum & salium furentium coercet, cave tamen ne dolores illi podagrici sint, aut venerei, vel similes, quorum detecta materia pejores morbos posset excitare: cave pariter, ne illud adhibeas in nervorum & nonnullis gravibus capitis morbis v. g. apoplexia, paralysi &c. quippe quod nervis & cerebro infidum est ac noxium.

§. 289.

Flatus, qui prius non aderant, si in dysenteria per inferiora exire incipiant, brevi sanitatem promittunt. Ut aliquoties observavit *Baglivius*.

§. 290.

Iliaco pessimo habenti si flatus multi & fœtidi pedendo erumpant, brevi mortem minantur.

§. 291.

Si puer ventrem frequenter manu contrectat, vermium ibidem latentium signum est.

§. 292.

Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres; Hippocrates Sect. 4. Aphor. 53.

§. 293.

Nares rubras habentes lubrici sunt corpore *Hipp. epidem.*

§. 294.

Sudor multus per somnum, citra causam manifestam factus, copiosiore alimento corpus uti significat. Quod, si cibum non assumenti hoc accidat, vacuatione indigere significat, *Hippocr.* Sect. 4. Aphor. 41.

§. 295.

Sæpe observavit *Baglivius*, periodicos quosdam dolores, ac morbos, periodice scilicet exacerbantes, si quasi essent soboles febrium periodicarum urinam, lateritio colore, sive impense rubro tinctam, comitem habere irritisque aliis remediis per diuretica, incidentia, amaricantia, & febrifuga prudenter, id est, tempestive & cum diu-

diureticis & purgantibus mixta, more febrium intermittentium feliciter curatas esse.

§. 296.

Sensus frigoris in vertice capitis inter maxima hystericarum diagnostica recenseri meretur.

§. 297.

Ante paroxysmi podagrici insultum nulla insignis intumescentia partis observatur, sed duntaxat quædam venarum protuberantia affecto loco circumpositarum, quæ quidem omnibus paroxysmi insultibus familiaris est, & singulos præcedit; estque signum veluti characteristicum jamjam advenientis podagrici.

§. 298.

Pluries observavit *Baglivius* in nonnullis podagricis, quod cum repente materia podagram efficiens evanuerit sive retrocesserit, inciderint in vehementissimos ventriculi dolores, & vomitus biliosos, exinde vero in icteritiam, a qua brevi evaserunt, repetito ter quaterque rhabarbari usu.

§. 299.

Multis ante invasionem paroxysmi podagrici superveniunt dolores colici, quibus evanescentibus statim manifestatur podagra.

§. 300.

In tumoribus pedum (qui oedematosi adparent) ante vel post podagram apparentibus nullum, omnino nullum inquam, neque internnm, neque externum adhibeas remedium, eo potissimum nomine, ut materiam illi a pedibus averteres: siquidem observavimus sæpissime post exhibita purgantia, diuretica, aut sudorifera materiam illam a pedibus ad interiora retrocessisse, & apoplexiam, asthmata, febres, aut mortem repentinam produxisse, idque infallibiliter sit topica, aut resolventia, aut alterius generis (ut fieri solet) externa remedia œdematosis pedibus adhibueris. — — — Conducit igitur in podagricis hoc pedum œdomatismo, omnia naturæ committere, primis coctionibus prospicere, diætam & exercitium instituere.

§. 301.

Purgantia & sudorifera fortiora non ita bene cedunt arthriticis, & quantum diligenti observatione colligere potui (Baglivius) optima rerum sex non naturalium diæta, nec non remedia stomachica omnem absolvunt paginam in podagricis & arthriticis.

§. 302.

§. 302.

Circa æquinoctia, & solstitia podagra exacerbari solet.

§. 303.

Desideratur historia morborum vere incurabilium, vitio solidi, vel ex impossibilitate, non autem vitio liquidi aut ex ignorantia.

§. 304.

Desideratur historia morborum, in quibus ægroti liberum sensum & rationis usum usque ad ultimum vitæ spiritum exercent, & in quibus illum prorsus amittunt multis ante morbum diebus &c.

§. 305.

Hortatoria ad medicos in describenda perpetuo historia morborum a nobis, & generalibus aëris influentiis, & antecedenti anni temporum statu pendentium.

§. 306.

Cœlius Aurelianus, sectæ methodicæ princeps, videtur in detegendis signis & morbis a se invicem distinguendis ceteros græcos & latinos longe superasse — — illius enim opera gravium præceptorum seminarium sunt.

§. 307.

Fluor albus uterinus & gonorrhœa gallica adeo ſimilibus concomitantur ſymptomatis, ut quilibet medicorum fere ſemper decipiatur in illorum diagnoſi. — — *Baglivius* dat hoc infallibile ſignum tales morbos ab invicem diſtinguendi. Pete a muliere, an ſuperveniente menſtruo ſanguinis fluxu perſeverat quoque eodem tempore fluor ille albæ materiæ; ſi dicat quod ſic, ſignificato eidem, quod morbus, a quo divexatur, ſit gonorrhœa gallica. Si vero durante menſtruatione fluor albus evaneſcat, & eadem finita denuo regrediatur, pro certo habeas, mulierem fluore albo uterino laborare, cetera ſigno fallunt.

§. 308.

Inter ſigna fœtus mortui in utero hæc potiſſima judicantur ab auctoribus, nempe frigiditas pectinis muliebri, fœtor oris cadaveroſus, converſio fœtus hinc inde ad latera, & alia hujus generis; quæ quoniam ſæpiſſime decipiunt medentes, infallibile omnium recenſet *Cœlius Aurelianus*: ſi mulier gravida ingenti conatu fœces evacuandi, id eſt, tenesmo detineatur, aliaque ſigna etiam aderint, pro infallibili habeto, fœtum

in

in utero esse mortuum. Hujus asserti veritatem ipse quoque *Baglivius* observavit semel Patavii & iterum Romæ.

§. 309.

Signa hydropis pectoris valde obscura sunt & dubia; si tamen æger dyspnoea afficiatur, hora somni potissimum ingravescente, ita ut post paucas horas somno impensas derepente expergiscatur, expergefactus suffocari se sentiat, fenestras aperiat, & liberum aërem exoptet, pro certo & infallibili signo habeas, ægrum hydrope pectoris laborare, nam & pedes intumescent, aliaque signa minus constantia adesunt. Nullius membri affectiones tam obscuris ad invicem confunduntur signis, quam morbi pulmonum, unde sæpissime unum pro alio curare solent ignari practicantes; præ ceteris tamen magnam errandi occasionem præbet tuberculum pulmonum, de quo Hipp. l. de medic. hæc habet: tubercula equidem pulmonem *deprehendere*, & *dissolvere* posse, maxime artificiosum habetur itemque collectiones illorum impedire; ita *Willisius* cap. de vomica pulmonum, differens de tuberculo ait: *vitium hoc latet inter initia ita clanculum, ut vix ulla sui pro-*

ferat indicia, ſed tota ejus res in inſidiis eſt: eadem fere ſymptomata habet cum tuberculo morboſa pulmonum adhæſio ad coſtas. Verum tamen, quæ nos obſervare potuimus inter conſtantiora ſigna, hæc potiſſimum ſunt recenſenda: tales ægrotantes de cetero bene ſe habentes difficulter ſpirare incipiunt; difficilis ſpiratio ſenſim augetur, inter ſpirandum non ſtertunt, & nihil exſpuunt, dolorem quoque in pectore ſentiunt continuum, & dolentem in locum decumbere non poſſunt; ſicca tuſſi laborant; tandem genæ rubent, febricula ſupervenit; & negotio ad ſuppurationem vergente, alia ſuppurationis ſymptomata accedunt. Duo tamen pathognomica crudi & adhuc incipientis tuberculi ſigna ſunt, tuſſis ſicca, & dolor lenis in alterutro pectoris loco, cui arridet illud divini ſenis text. 63. l. de morbis; *& quamdiu quidem tuberculum adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, & tuſſim ſiccam inducit &c.* Qui tuberculo pulmonum laborant, ſæpiſſime derepente moriuntur, nam ſuppurato tuberculo pus erumpit in tracheam & ſuffocat. In tabidis ſi dolor vehemens lateris derepente

pente ſuperveniat, brevi delirabunt, febris magna accendetur, & paucis poſt diebus moriuntur.

§. 310.

Phthiſis ſæpe eſt morbus ſecundarius a variis morbis principalibus v. g. lue venerea, ſcorbuto, ictero, chloroſi, aſthmate, ſputo ſanguinis, ulceribus internis & externis, febribus, melancholia, variolis, hydrope, dyſenteria, animi pathematis, ſtudiis ſeverioribus vel aliis innumeris hujus generis occaſionibus pendens. Hinc varia phthiſeos ſymptomata, varia medendi methodus, pro varia ſcilicet origine mali.

§. 311.

Hyſteria non contenta incedere accidentibus ſibi familiaribus, repentina ſcilicet ſenſuum oppreſſione, gulæ ſtrangulatione, ſenſu frigoris in vertice capitis, convulſionibus partium &c. ſæpiſſime imponit medicis ſub ſpecie doloris capitis, apoplexiæ, palpitationis cordis, aliarumque ejusdem affectionum; tuſſis, aſthmatis, affectionis colicæ aut nephriticæ, vomitus & diarrhææ, tumoris, dolorisque tibiarum, ſuppreſſionis urinæ, refrigerationis partium externarum, graviſſimorum dorſi dolorum,

& hujusmodi quam plurium morborum. *Baglivius* curavit [illegible] nam aſthmate hyſterico laborantem, ubi omnia antaſthmatica irrita fuere, præſcripto ſale jovis in aqua meliſſ. item appoſito empl. matrical. Mynſichti; erat hæc fæmina aliis hyſteriæ ſymptomatis etiam obnoxia.

§. 312.

Aſthma convulſivum fit a convulſione muſculorum thoracis, aut diaphragmatis, aut fibrarum carnearum pulmonibus intermixtarum.

§. 313.

Colicam convulſivam non a frigidis inteſtinorum humoribus, ſecundum antiquos, ſed a convulſione & irritatione nervorum meſenterii provenire, primus detexit *Fernelius* 6 pathol. 10. eamque purgantibus, clyſteribus, calidisque remediis magis exacerbari, miteſcere contra antinervinis, dulcificantibus, & mere anodynis.

§. 314.

Baglivius vehementer hortatur medicos, ut ægros ſuos ſedulo examinent de cauſa *procatkartica*, quæ internam ad actum provocavit.

§. 315.

§. 315.

Febris ardens a nimia venere producta non curatur purgantibus, nec venæ ſectionibus.

§. 316.

In iſchiade venerea profuit decoctum ſarſaparillæ, antimon. crud. & cortic. nucum.

§. 317.

Ait *Baglivius* diſpoſitionum internarum occultarum indolem vix detegi poſſe, ex ante acta tamen vita, & ſex rerum non naturalium uſu aut abuſu divinare poterimus generalitatem quandam talium diſpoſitionum, terreæne ſint, an acres, acidæ, humidæ, inflammabiles, tenſæ, coagulabiles.

§. 318.

Lingua præ ceteris ſc. indicat intimiorem morboſi ſanguinis ſtatum; ſi acidus ſapo in ea redundaverit, acidum ſanguinis, vel aliorum humorum ab eodem derivatorum conſtitutionem manifeſtabit; ſi ſalſus ſalſam; ſi amarus, amaram; ſi viſcidus, mucoſus, & inſipidus, talium partium copiam; ſi humida, humidam; ſi ſicca ſiccam & inflammatoriam diatheſin. Demum pro ſecuro ſibi ſit lector, me certiorem de ſanguinis ſtatu indaginem aliunde non hauri-

re, quam ex lingua — — reliqua enim ſigna frequenter fallunt, hæc aut nunquam, aut raro. Cave igitur, ne diſcedas ab ægro in cujuscunque morbi curatione, niſi prius linguam inſpexeris, præſertim, ſi de internis inflammationibus ſuſpicio fuerit, quas tibi certiſſime explorabit lingua, utpote quæ in minima inflammationum ſuſpicione ſtatim reſiccari incipit, & crescente inflammatione creſcit pariter & ſiccitas linguæ.

§. 319.

Wepferus exercitat. de apoplexia fol. 429. ait, ſe in cadaveribus febri continua extinctorum aliquoties, nonnunquam & in malignis ſanguinem fluidum, nec poſt obitum coagulabilem obſervaſſe. *Simon Pauli* de febribus malignis §. 2. notat ſanguinem phlebotomia emiſſum maxime rubicundum, & colore proxime accedentem ad colorem floris cardinalitii, ſive Trachelii Indici, nec non pauco perfuſum ſero ſe pluries in ægrotantibus obſervaſſe, qui cum tali ſanguine ſemper de vita periclitabantur. *Baglivius* (idem etiam *Huxham*) hoc idem in peſte a plurimis notatum eſſe, teſtantur hiſtoriæ recentiorum.

§. 320.

§. 320.

Nemo curationem febrium feliciter absolvere poterit, nisi ante quælibet adhibita remedia certior factus fuerit de statu sanguinis febrientis, scilicet an sit nimium concitatus, tenuis, inflammabilis &c. (id est an adsit dispositio sanguinis phlogistica) vel contra coagulabilis, lentus, malignus &c.

§. 321.

Cura intermittentium optime peragitur solventibus; id est roborantibus salinis, & leniter alvum moventibus, nocent mucilaginosa, mere aquosa, purgantia fortiora, venæ sectiones. Hinc optime convenit decoctum gramin tarax. cichor. cum oxymelle, roob sambuci & sale medio. Neutrum seorsim sufficit. Stoll.

§. 322.

In febribus intermittentibus præstant summopere amara, acria, lixivo - alcalina; *amara hœc calidaque materiam febrilem altius inpingerent, nisi ter, quaterve per diem alvus moveatur. Alvum autem moventia &c. sine amaris calidisque debilitando nocerent. Stoll.*

§. 323.

§. 323.

In plurimis febribus diuturnis ac chronicis nonnullis morbis magnam afferunt utilitatem medicamenta quædam austero-amara de genere fere adstringentium, uti sunt chinchina, tormentilla, radix pentaphylli, alumen crudum, chalybeata, cortex fraxini, medicamenta vitriolico-martialia, aliaque hujus generis, quæ adstringendo operantur. Hæc enim mala ab elanguido solidorum fluidorumque tono, non autem a decantata viscerum obstructione pendent.

§. 324.

Multiplici experientia didici (ait *Baglivius*) colicas convulsivas pertinacissimas & veluti ab orgasmo spirituum productas post venæ sectionem institutam & remedia anodyna maxime diluta brevi ac feliciter sanari.

§. 325.

Ubi sudor necessarius est & irritis quibusvis remediis non erumpit, mitte sanguinem, & statim erumpet.

§. 326.

Baglivius ait, morbi a strangulatione sive, ut ita dicam, arctatione humorum aut spirituum in aliqua parte, nullis aliis remediis adeo facile solubiles, quam per sanguinis

nis missionem *in loco affecto vel proximiori institutam.*

§. 327.

Arthritis facile mutatur in colicam, omnes calculosi facile fiunt icterici; ex scabie retropulsa vel male curata quam plures infausti morbi proveniunt, uti sunt sputum sanguinis, apoplexia, hydrops, febres longæ &c. Scabies quartanario superveniens bonum.

§. 328.

Apoplexia pituitosa correpti facile pallescunt, gravissimo sopore corripiuntur, pulsus habent exiles; vomitoriis, purgantibus optime cedunt, a sanguinis missione ingravescunt; contra in sanguinea, rubore suffunditur facies, vasa sanguifera capitis maxime turgent, sopores non sunt vehementes, nec pulsus adeo exiles &c.

§. 329.

In colica biliosa contingit sæpissime aphonia, & vox rauca, duratque interdum per totum morbi decursum; hæc eadem vox rauca observatur pariter in febribus a bile ortis, quamobrem arguere merito possumus, raucas hujusmodi voces & aphonias in acutis & similibus morbis subindicare

nobis

nobis caufam proximam illorum pendere a bile, five partibus acribus, volatilibus, fulphureisque. Ifta aphonia folet non raro effe prodromus convulfionum epilepticarum in colica. Dolores nonnunquam obfervantur ftata periodo adinftar intermittentium invadentes; fi hæc fuccedant, pro certo habeas caufam proximam illorum aliunde advenire, nec in affecto loco generari: irritisque quibusvis remediis obfervavi (Baglivius) quod fi tribus horis ante invafionem doloris lene purgans exhibeatur, præfertim in imo ventre tragoediam excitat & brevi, feliciterque fubripietur; imo quicunque alii periodici dolores per repetitas hujusmodi purgationes protinus recedent.

§. 330.

Abfceffus latentes hepatis per intolerabiles cruris aut furæ dolores nullis remediis cedentes manifeftantur. Vide *Hollerium* com. 2. ad l. 2. Coac. Hippocrat. fol. 348. idem pariter obfervarunt *Iacotius* in Coac. *Hippocr.* & *Bauhinus* in fuis obfervationibus, & tabulis anatomicis.

§. 331.

Obfervavimus nos, quamvis in tertiana magna bilis copia evacuata fuerit, febrim

magis

magis atque magis exacerbari, & ex simplici duplicem, ex duplici chronicam aut lethalem demum evadere. (Ita Baglivius.) *Lenia eccoprotica, salina, roborantibus juncta, & forma liquida propinata propria solventia dici merentur, nequaquam autem stricta purgantia. Solventia talia vere indicantur, non autem purgantia. Stoll.*

§. 332.

Teste *Henrico Heer* aqua spadana, quamvis in promovendis diu suppressis menstruis expertissima sit, eorundem tamen nimium fluxum quovis alio remedio facilius etiam feliciusque sistit.

§. 333.

Febres intermittentes ab adhibito in principiis purgante in pejus ruunt, continuæ fiunt, & si purgantia repetantur, diuturnæ & lethales evadunt.

§. 334.

Baglivius sequentia remedia vocat specifica: in intermittentibus corticem peruvianum, in dysenteria serum lactis; in lue gallica mercurium & sarsam; in affectione hysterica sal aut bezoardicum, aut jovis. In doloribus post partum tinctura succini cum aqua cinamommi extracta, & exigua syrupi ci-

namme-

nammomi quantitate addita. In ictero flavo spiritus salis ammoniaci acidus.

§. 335.

Lac est specificum remedium ad sanguinis acrimoniam compescendam: tutius exhibetur verno & autumnali tempore quam æstivo. Si diarrhæa ex ventriculi cruditate viget, abstinendum pariter ab illius usu erit; ægrotis ex nervorum capitis affectionibus noxium maximopere est lac. Lac nervis & capiti contrarium; pectori familiare, infimo demum ventri flatuosum.

§. 336.

Sæpissime observat *Baglivius* in praxi, methodum recentiorum per remedia spirituosa volatilia, & impetum facientia, morbis chronicis summopere conferre, acutis contra summopere obesse.

§. 337.

Limaturam martis, cinnammomum & saccharum *Baglivius* sæpius adhibuit: item succos cichorei, borraginis & sonchi.

§. 338.

Multa scire oportet medicus & pauca agere, dum ad curationem morborum vel nimis acutorum, vel complicatorum descendit. Errant, qui putant, morbos facilius

luis non ſanari, quam per grandia & copioſa remedia.

§. 339.

Hippocrate & experientia teſte certum eſt, tertianas ſimplices ſeptem circuitibus ſua ſponte recedere.

§. 340.

In ruſticis & qui medicorum opera non utuntur, jucundo ſane documento hujusmodi criſes, ſive deſpumationes peccantis materiæ per ſudores, alvi fluxus, urinam, aliasque naturæ vias perfici, & motu prorſus ordinato fieri videmus.

§. 341.

Hippocrates ipſe in febrium præcipue acutarum curatione pauciſſimis utebatur medicamentis, & ſi excipias lene vomitorium, clyſteres, aut ſimile remedium, quod circa initia adhibere cogebatur, in progreſſu morbi ſola ptiſana ad morbi genium varie temperata contentus, & naturæ reliqua committens, adſidens illius ſpectator criſin expectabat, ut conſtat ex illius libro de diæta acutorum &c.

§. 342.

Hippocrates diuturna edoctus experientia, naturam eſſe morborum, præci-

pue acutorum, medicatricem, in illorum curatione, poſt præſcripta pauciſſima in principio morbi medicamenta, dum res ad ſtatum tendebat, a remediis prorſus abſtinebat, (*dummodo tamen morbi genus & malignitas idem permitterent. Stoll*) & omnia naturæ comittens ſecurus criſin exſpectabat.

§. 343.

Pauca ſunt curandis morbis neceſſaria remedia, ſi morbus curam recipit; ſi vero fuerit incurabilis, uſu remediorum vires acquiret, ægrotumque conjicit in diſcrimen; incongruis enim remediis digeſtionis facultas extenuabitur, & comparabitur in dies novus morbo fomes in ægri detrimentum. Cum febres aliique morbi in longum protrahuntur tempus, nulla eſt ratio medendi melior, quam pharmacis abſtinere, adhibito tantum conveniente victu, quo foveatur natura &c.

§. 344.

In chronicis pauca requiruntur remedia, ejusque ſint generis, quæ parti affectæ conveniant quaſi ſpecifica. Semper tamen in morborum diuturnitate conſulendum eſt digeſtionibus.

§. 345.

§. 345.

In curandis febribus univerſalibus, id eſt, quæ ipſo de ſanguine ſuſcitantur, non admodum laborandum eſt circa partem affectam, ut inde curativæ deducantur indicationes: febrium ſiquidem primordia partesque affectæ in iisdem nos plerumque latent, & ſi unquam paterent, oportet indicationes dirigere ad conſtitutionem maſſæ ſanguineæ febricitantis potius, quam ad ſophiſticam ſpeculationem cauſarum proximarum — — — ideo ſi primæ viæ ſint obductæ eæque egerendæ atque expurgandæ fuerint, danda opera, ut febrium fomes tollatur; ſi vero ſanguis febricitans ſit exaltatus & vehemens, ejus reprimendus eſt impetus; ſi nimis craſſis humoribus irretitus, atque coagulatus, exaltetur ac diſſolvatur. In his enim tribus præceptis omnium prope illarum febrium cura verſatur, quæ ortum non ducunt ab organi læſione, verum ab humorum congluvie, aut in ipſo ſanguine, aut in primis viis, & cum ad criſin natura vergit, aut eam jam excitaverit, tum a remediorum copia, tanquam a peſte cavendum. Ex odore, quem ægri ſpirant, ſoleo ſæpe, ait *Baglivius*, utrum

morbus facilis aut difficilis, brevis vel diuturnus vel alterius generis futurus sit, judicare.

§. 346.

In ægris, qui morituri sunt, nonnullis ante mortem diebus, solet, dum pulsum tangimus, ab eorum exhalare corpore fœdus quidam ac veluti cadaverosus odor, qualem spirant in templis cadavera, & sæpe observavi, & velim, ut serio animadvertant medici.

§. 347.

Vidit *Baglivius* singultus frequenter excitatos a nimia stibii diaphoretici abusu.

§. 348.

De morbis pulmonum, etiamsi peritus in arte sis, vel censearis, noli cum jactantia practice de illis disserere, vel facilem promittere curationem. Acuti namque licet curabiles sint, derepente tamen ægrum jugulant, medico stupente ac ne cogitante. Chronici vero derepente quoque necant, curatuque difficillimi sunt, et si curantur, non ab ignaris, sed ab acerrimo præditis judicio curantur.

§. 349.

Hippocrates in morborum curis nil magis præcipit, quam balnea, fricationes, exercitationes, unctiones, ustiones, incisiones partium usque ad ossa. Ablutiones capitis, purgationes per sternutatoria. Ejusdem lotiones, vellicationes, succussiones, ac hujusmodi remedia in solidis humani corporis facta vim suam exercentia, quoniam iis præcipue adhibentur, non autem in fluidis nisi solidorum ope. Per os etiam, si helleborum excipias, & frequentem seri usum, & lactis in morbis plurimis, pauca alia remedia adhibebat.

§. 350.

Quibus capite vulneratis, letargi avertendi caussa, vesicantia adplicantur, ii confestim pereunt. Vesicantia nocent delirantibus viris magis quam fœminis. Potus tunc juvant, balnea tepida & emollientia ventri, pedibus & palmis adplicata. Sectio salvatellæ &c. Imminente vel actuali delirio hypochondria sunt intro pressa. Bulbus oculorum immobilis, & quasi saxeus, lingua balbutiens, & plerumque tumescens, arida & sicca. Totum corpus veluti tensum & parum flexile. Præterea semper

 prait

præit gravis capitis dolor, ſuppreſſis tunc etiam ordinariis excrementis. Dum æger delirat, filtra omnia glandularum parum ſegregant &c.

§. 351.

Vidit *Baglivius* fœminam, quæ frequenter tubercula in oſſe menti habuit, imo durante menſtruatione oſſa clavicularum tumeſcebant, eaque deſinente evaneſcebant.

§. 352.

Oſſa facile rumpunt in gallicis & ſcorbuticis &c.

§. 353.

Oſtendemus itaque *cor* — *particularem* ſuper iis poteſtátem, & a *cerebro independentem* habere.

§. 354.

Morbi, qui nerveis & membranoſis in partibus fiunt, graves, periculoſi, & difficillimæ curationis ſunt, & fere ſemper capiti conſentientes; & quod ſane mirum atque notatu dignum, nulla tunc temporis in partibus ſanguineis, in ipſo ſanguine & in corde apparente mutatione.

§. 355.

Pulſus ſerrinus & durus ſemper indicat vitium in partibus membranoſis ac nerveis, ſubinde autem periculoſus erit, ſi cum periculoſis conjungatur accidentibus; in doloribus capitis vehementibus pulſus fiunt parvi & imperceptibiles pene, idem fit in doloribus aliarum partium membranoſarum. Quod tamen medicum terrere non debet, nam familiares ſunt pulſus parvi in talibus doloribus. In pluribus ægris pleuritide laborantibus obſervavi ſæpe pulſum manus poſitæ a latere partis affectæ ſemper eſſe parvum & exiguum; in rigore febrium pulſus contracti quotidie obſervamus.

§. 356.

Paralyſes univerſales vitio affectionis hyſtericæ relatæ a *Boile* de utilit. philoſoph. nat. f. 154.

§. 357.

Tympanitides univerſales ob vulnus partium nervoſarum ex *Villiſio* Tom. 2. fol. 145.

§. 358.

Novit *Baglivius* vetulam ſeptuagenariam diro aſthmate cum tuſſi continua laborantem: hæc quoties ambabus manibus

fortiter comprimit verticem capitis, toties cessant statim pro tempore, quo durat compressio, & asthma & tussis catarrhosa, statim vero ac manus auffert, iidem morbi denuo redeunt &c.

§. 359.

Membranarum morbos magna ex parte periodicos observavit *Baglivius*; cephalalgiæ exacte periodicæ frequentes sunt.

§. 360.

Observavit *Baglivius* in iis, qui anevrismate interno laborant, ex ea parte, in qua est anevrisma, sive eam partem, cui arteria anevrismate laborans respondet ac prospicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum ac demum paralysi laborare; adest & palpitatio cordis, vertigo, frequens syncope, spirandi difficultas, inæqualitas pulsus.

§. 361.

Fol. 303 de fibra motrice hoc exemplum hominis calculosi, odore oris vitriolico, mictu sanguinis atri, fœdissimi, vitriolici laborantis & sanati. Fors morbus hic idem est cum prima specie morbi nigri *Hippocratis*, de quo *Tissotum* vide: folio 304 de fibra motrice vide plura apud *Bag-*

livium

livium de fluxu nigri ſanguinis per alvum. Ubi dicitur, hunc fluxum a morbo meſenterii, uti & lumborum liberare. Juvat ſerum lactis cum ſuccis herbarum, & lenia purgantia per intervalla.

§. 362.

Pleuritides ſiccæ, aſthmata ſicca, hydropes ſicci, ſolidorum vitio magis, quam fluidorum oriuntur.

§. 363.

Qui nimium ſanguinei ſunt, & facie rubicundi, in convulſivos morbos ætatis progreſſu incidunt. Mulieres nimium ſanguineæ, calidæ & rubicundæ, doloribus uteri atrociſſimis circa tempus menſtruationis vel quolibet alio tempore ob dictam cauſam patiuntur.

§. 364.

Ex abuſu purgantium in hydrope ſicco, creſcit magis pedum, ventriſque tumor.— Laxandum potius eſt ſolidum nimium criſpatum, deinde remedia danda ſunt; ideo ſæpe hydropes ſicci circa finem hydropes humidos poſt ſe trahunt.

§. 365.

Medicamenta purgantia, diuretica, & aperientia nimium acria, quæ reſerandis viſce-

rum vafis præfcribuntur, fi morbus a folidis, non a fluidis cœperit, non referant vias, fed magis intercludunt, — — resque definit in cancros, fcirrhos, & lethales vifcerum obftructiones. Quod fæpe experimur poft partum difficilem, poft diuturnos menfium, lochiorumque fuppreffiones, & hic de reliquis liquidorum fuppreffionibus, folidi vitio productis, difcurrendum.

§. 366.

Delirium a fortiffimo duræ matris elatere productum, nullo remedio citius fedatur, quam fomento aquæ tepidæ pedibus, ventri, & volis manuum per fpongias facto — — quod ufu veficantium potius exafperatur.

§. 367.

Poft molefta pedum eryfipelata nafcuntur œdemata diuturna & incommoda; quæ vix cedunt remediis intus fumptis, fed tantummodo fomentationibus herbæ alicujus vulnerariæ & mollientis.

§. 368.

Maniacorum vis incredibilis a maxima fibrarum excitatione producitur. *Baglivius.* (*hinc profunt balnea tepida, potus emollientes, relaxantes; nocent per fe veficantia*

tia. Stoll.) Hujusmodi homines plerumque ſicci ſunt, nigris capillis præditi, cutis colore nigro, naturaliter impatientes, volubiles, & ad operationes promptiſſimi.

§. 369.

Quid aliud quæſo eſt, quod pluribus in locis memorat magnus ſenex, *plures mulierum morbos ab utero inverſo pendere*, niſi merum ſolidi, ſive fibrarum uteri vitium, quæ ſemel nimium criſpatæ raro priſtinam recuperant mollitiem. Et ab hujusmodi morboſa criſpatura quotidianæ menſtruorum, lochiorumque &c. ſuppreſſiones perſæpe oriuntur. (*huc pertinet pertinax menſium ſuppreſſio in Domina de F***, & in comitiſſa M** Stoll.*)

§. 370.

Lochia ob nimios dolores poſt partum ſtatim ſupprimuntur, nec non ob dolorem mammarum; nec fluent, niſi prius dolor ceſſaverit, id eſt, lenita ſolidorum morboſa oſcillatione. Ob hanc cauſam renibus dolore vexatis urinæ fluxus frequenter intercipitur.

§. 371.

Mulieres nonnullæ magnum in corpore calorem fere continuo ſentiunt, præſertim

tim hystericæ, hypochondriacæ &c. crispatis enim interna de causa viscerum fibris, fluidorum cursus tarde per ea incedit, & ita caloris sensum in ea producunt. Pedum immersio in frigidam, poculum frigidæ, perfrigeratio pedum, actu fluentia menstrua intercipit, scilicet ob crispatas fibras; juvit hoc in casu balneum aquæ tepidæ, & in eo vena pertusa.

§. 372.

Binas mulieres ob hysteriam vehementissime affectas, vigiles & inumeris lacessitas symptomatis sola gestatione currus per plures menses; & hominem nobilem, & alium divitem hypochondriace affectos ac pene desperatos equitatione super asinum in aëre rusticano facta, perfecte sanavit *Baglivius*.

§. 373.

Diarrhœa cum variolis in principio non nocet &c. In puerperis superveniente ardente febri lochia supprimuntur, nec redeunt nisi remisso calore febris. Lac in mammis, pus in ulceribus, & reliquæ ordinariæ evacuationes, nec non sudoris, secessus, sputi &c. eodem febris ardore durante silent.

§. 373.

§. 374.

Ubi catarrhi ſunt, ibi ſtatim ſuſpicandum eſt lympham peccare: ea enim ſola ſedes catarrhorum eſt —— membranæ vocari poſſunt telæ pituitariæ, quæ quando longo catarrhorum curſu nimium laxantur, iidem curari non poterunt, niſi reſtituatur tonus laxatis fibris. Lignum ſaſſafras remedium ad id præſtantiſſimum eſt; catarrhi ex lympha acri & tenui noctu potiſſimum affligunt; ex craſſa indifferenter.

§. 375.

Juveni nimis rerum ſalitarum & victus prorſus exſiccantis uſu alvus taliter exſiccata fuit, ut difficillime ſolveretur, adhibitis quibuscunque humidis cibis & oleribus; cum *Baglivius* exiſtimare cepiſſet, ventris ſtipticitatem non vitio fluidi, ſed fibrarum inteſtinalium fere convulſivarum & exſiccatarum ob ante dictam diætam provenire, uſu butyri recentis in formam boli cum ſaccharo præſcripti, perque dies multos aſſumpti, nec non balneis aquæ tepidæ per totum ventrem, priſtinam lubricitatem recuperavit. Plures hujusmodi alvi exſiccationes obſervantur in praxi.

§. 376

§. 376.

Qui ulcera in cruribus, aliisque in partibus gerunt, si generosum biberint vinum, eodem vix ingesto plaga inflammatur.

§. 377.

In febribus syncopalibus, vertiginosis, & singultuosis, quarum causa est acre quid corrosivum tunicis stomachi impactum, easdem crispando ac vellicando, gravissima mala producuntur, communicata capiti, cordi & diaphragmati, vehementi ac morbosa oscillatione; unicum remedium est emeticum ex oleo amygdalarum dulcium, quod & fibras crispataslaxat, & acre cicurit lenitque.

§. 378.

Sæpe observavit *Baglivius* in calculosis pulsum manus reni affecto respondentis parvum esse, depressumque.

§. 379.

In nephritide quoque, qua parte est calculus, eadem succedit in capite hemicrania. Et in pleuritide pulsus ex parte lateris affecti depressus magis observatur, quam ex parte sani; idem forsan succedit in doloribus aliarum partium.

§. 380

§. 380.

Pulſus parvus in maximis doloribus neminem deterreat; familiaris enim eſt iis oriturque vitio ſolidi vaſorum, fibrarumque irritati, criſpatique, non vero fluidi.

§. 381.

Poſt dolores partus excitantur colicae ſive inteſtinorum dolores, communicatis criſpaturis ab utero ad inteſtina.

§. 382.

Erumpentibus dentibus in pueris lactantibus gravia ſuccedunt ſymptomata vitio ſolidi tantum.

§. 383.

Dolentibus mammis poſt partum lactis cauſa lochia ſupprimuntur frequentiſſime. Remittente autem mammarum dolore, redeunt lochia.

§. 384.

Incipientes oſcillationes ſpasmodicæ in meſenterio in hyſtericis, ſi ſucceſſive cerebro communicentur, excitant in eo vertigines, vel dolores, ſopores, aliasque ſimiles affectiones.

§. 385.

Convulſiones infantum & puerorum ex abdomine putris ac congeſtæ cacochyliæ cauſa fere ſemper excitantur.

§. 386.

Cum morbi convulſivi e. g. hyſterici in vitio ſolidorum potiſſimum reſideant, hinc ſanari debent juxta regulas ſolidi curativas.

§, 387.

Vidit *Baglivius* calculum magnum in renibus, & tamen patiens in vita de nullo renum dolore unquam conqueſtus eſt, ſed tantummodo de gravi ac vehementiſſimo genuum. Pariter idem *Baglivius* cadaver mulieris aperuit, quæ atrociſſimis uteri doloribus extincta, & utero poſt mortem examinato, nihil in eo morboſi reperit, ſed tantum in emulgente dextra abſceſſum, in qua nullum unquam doloris indicium præbuit.

§. 388.

Mulieres ſanguineæ & virilis naturæ poſt 50 annum, cum menſtrua eisdem naturæ lege ceſſant, menſtruis hæmorrhoidibus per plures annos ſubjacent.

§. 389.

Suppreſſa hæmorrhoidum evacuatione ſecuta eſt apoplexia letalis. Mictus ſanguinis periodicus ac menſtruus, incaute ſuppreſſus, letalis fuit. Ulcera imprudenter clauſa mille mala pariunt. Hinc ſæpe fit, ut fluidum excrementitium, ſi per vias ſibi proprias evacuari non poſſit, locum ſibi faciat per vicinas. Hinc monialis, per ſex menſes iſchuria laborans, vixit commode, quia quotidie ſudabat in abdomine. Puer iſchuria vexatus urinam per alvum educebat. Menſtrua ſuppreſſa viam ſibi faciunt per alvum, vel vias vicinas.

§. 390.

Si menſes inſtant, vena brachii ſecanda, & fluent; ſi iisdem fluentibus eadem ſecetur, ſupprimentur; non ſupprimentur autem, ſi ſecetur ſaphæna.

§. 391.

In partu difficili, vena ſecta brachii, fœtus prodit, & in iſchuria eadem ſecta urinam profluere facit teſte *Foreſto*, quem *Baglivius* tanquam ſummum obſervatorem laudat.

§. 392.

Quibus in præcordiorum dextra aut ſiniſtra parte tenditur aliquid in febre, cum dolore capitis, idque neque cum dolore præcordiorum, neque cum inflammatione, ſanguis e naribus fluet. *Hippocr. l. prænot.* n. 25.

§. 393.

Sicuti purgantia in morbis capitis ſummopere proficiunt, ita diuretica in morbis pectoris. Morbi cutis, uti dolores artuum, fœdæ ac pruriginoſæ ejusdem maculæ, in alvi morbos ſolvuntur. Alvi affectiones, uti diarrhϾ, colicæ &c. in cutis affectiones migrant, & per cutis vias, nempe per diaphoreſin, ſanantur frequentiſſime.

§. 394.

Jecore affecto dolores ad jugulum e directo fiunt, tuſſes inanes ſpirandique difficultates; imo hydropes, qui ex morboſo jecore pendent, vehementiſſimam ſed inanem tuſſim conjunctam habent, quæ in aliis hydropum ſpeciebus vix aut raro adparet.

§. 395.

Si pulmonicis tota lingua ſit alba, & aſpera, ambæ partes pulmonis ſunt inflam-

matæ

matæ, ſi medietas linguæ ſit aſpera &c. ea pulmonis pars ægrotat. Ita ſi dolor ad jugulum eſt, ſi fuerit ad dextrum, dextra, ſi ad ſiniſtrum, pulmonis ſiniſtra pars ægrotat.

§. 396.

Quidam, quoties tuſſiunt, mingunt.

§. 397.

In nephritide calculoſa interdum adeſt hæmicrania ex parte capitis, quæ dolenti reni e directo reſpondet; ſtupor quoque crurum e directo, retractio teſticuli e directo eandem ab cauſam fiunt.

§. 398.

In calculo veſicæ adeſt in glande penis dolor, pruritus & irritatio continua, quod inter pathognomica ac certiſſima calculi veſicæ ſigna eſt.

§. 399.

Dolores iſchii, dolores lumborum ex infarctu congeſtioneque pravorum ac crudorum humorum in meſenterio orti, ad genua & ultimos digitos protenduntur.

§. 400.

Dum febrilis horror aut frigus univerſam cutim convellit, tunc oleum deſtillatum caryophyllorum epigaſtricæ regioni il-

litum remissionem horroris procurat undiquaque.

§. 401.

Qui difficile ſudant, appoſito plantis pedum latere calefacto, mirifice ſudor illis promovetur.

§. 402.

Rigores & horrores, qui futuras ſuppurationes prænunciant in partibus, in pulmonibus vel a tuberculo, vel a vomica, vel alia ſuppuratis de cauſa aut nunquam, aut raro obſervantur.

§. 403.

In contuſionibus cranii & læſionibus meningum, ſi ſeptimo vel undecimo die gravis ſupervenit opthalmia, ſignum mortis imminentis. Ex gravi capitis percuſſione, impotentia ad venerem.

§. 404.

In collectione puris in cavitate capitis aliquando ſuccedunt vomitus, nauſea, aliquando metaſtaſi ad jecur facta; jecur ſuppurat frequenter in capitis vulneribus & contuſionibus.

§. 405.

Phthiſi ſupervenit tumor teſtium.

§. 406.

§. 406.

Succus ſempervivi ſcroto illitus tollit hæmorrhagiam narium. Acetum quoque eidem illitum tollit ebrietatem & narium hæmorrhagiam.

§. 407.

Hæmorrhagiæ narium ſubito terrore ſanantur.

§. 408.

Gaudium & ira menſes promovent; pavor autem & mœſtitia ſtringunt. Verecundia partum reddit difficilem. Mulieres gravidæ territæ, verecundæ poſt partum lochia ſibi ſupprimunt. Uteri laxitas ſolo terrore ſanata fuit.

§. 409.

Quam pauci meſentericas febres curare, aut dignoſcere ſciunt! — — eas curabitis, ſolida nimium intenta laxando, nimium laxata intendendo, liquida nimium concreta ſolvendo, ac per intervalla purgando &c.

§. 410.

Pueri in eruptione dentium alvi fluxu corripiuntur, vel convulſionibus, genua eisdem intumeſcunt, nec detumeſcunt, niſi diarrhæa ſuperveniente copioſa fluit ſaliva;

ſtertor viget, adeſt febricula cum vigiliis, variisque aliis accidentibus, quæ ſola parit ſolidorum irritatio.

§. 411.

Sæpe obſervamus, quod ſi calculus poſt 10. vel 15 dies non deſcenderit ad veſicam, imprudenti diureticorum uſu & nimia remediorum præſcriptione, ut vulgo faciunt medici — — — magis magisque figitur calculus — — — quo in caſu, crede mi lector, unicum remedium eſt, abſtinere a medicamentis, nam ſola quiete calculus tandem praoſiliet. Idem eſto judicium in difficili lochiorum, menſtruorumque &c. ſuppreſſione; quo plura enim dederis aperientia, eo magis creſcet ſuppreſſio. In iliaca affectione, quæ oritur a forti criſpatura fibrarum inteſtinalium ab ano ad gulam, pauca juvare ſolent remedia, ex claſſe anodynorum & ſtomachicorum; nocent contra clyſteres acres, remediorumque ingens copia. Revera igitur, dolores omnes nephritici, dolores omnes ante & poſt partum, hyſterici, quique inſtantibus menſtruis purgationibus ſuccedunt, a ſpasmodica fibrarum oſcillatione pendent, totiusque curationis ſcopus

pus dirigi ſtatim debet in ea primum tollenda per fotus, balnea, & anodyna, laxantia remedia, denique fluido peccanti incumbendum.

§. 412.

Sæpe tamen intentio hæc, ingensque fibrarum veluti induratio pendere ſolet a nimio impetu, orgasmo & acrimonia humorum, quo caſu, laxata ſanguinis compage per phlebotomiam, laxatur quoque intenſio duritiesque ſolidorum.

§. 413.

Ventoſitatem flatuoſam venæ ſectione ſiſtito. *Hippocr.*

§. 414.

Quicunque derepente voce deſtituuntur, ſi ſine febre fuerint, venam ſecato. *Hippocrat.*

§. 415.

In hydrope quoque flatuoſo ſanguinem mittito. *Hippocr.* Hujusmodi etiam ſunt urinæ ſuppreſſiones, quæ ſanguinis miſſione ſolvuntur; ſuppreſſiones lochiorum, menſtruorum &c.

§. 416.

Sunt, qui ob nimium fibrarum ſenſum & mollitiem facile ſyncopyzant & reſolvun-

tur; facile quoque ob nimium ſenſum, ſive fibrarum ariditatem capitis dolore laborant; in quo caſu, quoniam dolor ſolidi vitio potius quam fluidi oritur, ad narcotica libenter veniendum, nam tuto adplicari poſſunt, quoniam non aliud debent efficere, quam obtundere nimium fibrarum ſenſum. Pariter qui magis ſenſibiles fibras obtinuere, catarrhis fluxionibusque vitio ſolidi ſunt magis obnoxii, ut inter ceteros pueri. Et quibus hectica inteſtinorum intemperies flatuum procreatrix naturaliter eſt, ob dictam fibrarum ſenſationem doloribus lumborum, & aliis, alvique extrema ſiccitate facile corripiuntur & facile in hydropem ſiccum tympanitidem cum atrociſſimis doloribus & horrida viſcerum tenſione terminantur; quarum affectionum occaſio & cauſa, licet ab extra venire poſſit, augetur tamen ſummopere morbus ob nimiam eamque naturalem fibrarum ſenſationem, vividumque elaterem. Quare non erit negligenda in poſterum a medicis, prout hactenus factum eſt, cognitio atque doctrina ſolidorum cujusque corporis ægrotantis &c.

§. 417.

§. 417.

Nota. Nimia ergo fibrarum muſcularium irritabilias morbos producit hypochondriacos & hyſtericos. Occaſio vero & cauſa excitans varia admodum eſſe poteſt. Stoll.

§. 418.

A tono languido & relaxato fibrarum in habitu corporis ſucci nutritii aſſimilatio debitusque curſus perturbantur, naſciturque phthiſis, quam dicimus nervoſam, ſive phthiſis in habitu corporis ob tonum everſum ſolidorum, in qua quidem curanda neque lactea, neque humectantia præſcribenda, ſed chalybeata, antiſcorbutica, cephalica, & amara &c. — — — Lienteria interdum fit ob nimiam pylori laxitatem, & aliarum partium ventriculi irritationem nimiam.

§. 419.

Epiphora ſive laxitas glandularum oculi ſeroſam facit lachrimationem, irritisque aliis ſtringentia juvant vulneraria, quæ tonum reſtituant.

§. 420.

A fibrarum nimia laxitate in tubulis renum ſive atonia renum, lethales urinæ ſuppreſſiones ſæpe oriuntur. Verum quaque

 que

que diabetes aliquando ſuccedit ob laxitatem viarum ab inteſtinis ad renes, curaturque per adſtringentia & aromatica.

§. 421.

Iſchuria ſive urinæ ſuppreſſio contingit ob torporem fibrarum veſicæ: curatur per acria ſuppoſitoria, clysmata ſtimulantia & ſimilia, quæ fibras vicinas jure conſenſionis ad motum excitant.

§. 422.

Plura lymphæ vitia a ſola glandularum laxitate fiunt atque dependent, & medici ſibi fingunt mille obſtructiones, & mille falſas obſtructionum chymeras. Idem in meſenterio quotidie obſervo (*Baglivius*) quando illi pallorem levis momenti in vultu vident, qui languidi ſtomachi, viarumque inteſtinalium laxatarum comes eſt individulſus, putant ab obſtructione fieri; mille ſtatim dant inutilia remedia ex chalybe, ex amaris omnis generis — — — cum morbus ſola maſticatione cinnamomi, vel ſeminum citri, vel potu coffee, roboratis per hæc fibris laxatis, non vero, ut ipſi putant, obſtructis, promte tolli potuerit.

§. 423.

§. 423.

Hydrocephali oriuntur in infantibus recens natis a nimia fibrarum cerebri laxitate, ob longam moram infantis in utero capite prono, dum vim facit, ut foris exea in partu difficiliori.

§. 424.

A nimia pulmonum laxitate ſæpe oriuntur phthiſes &c.

§. 425.

Fibrarum veſicæ laxitas in pueris veſicæ calculum producit, quia nequit ingentem viſciditatum copiam, qua pueri ſcatent, oſcillando propulſare.

§. 426.

Quidam ob naturalem pulmonum mollitiem & laxitatem ſanguinem ſpuunt. De hoc corporis habitus te certum fortaſſe reddit.

§. 427.

Cælius Aurelianus de morbis ſolidorum optime ſcripſit.

§. 428.

Sicuti vocis exercitatio conducit non nullis pulmonis & capitis morbis, ita globulorum luſus calculo & renibus; ſagitatio pulmonibus & thoraci; lenis deambulatio

ven-

ventriculo; equitatio capiti & meſenterio. Quibusdam navigatio, venatio, ruſticatio, ambulatio, iter longum per montana, vel per campeſtria, aliis muſica vel ſaltatio; Paucis vero, dum longo morbo tenentur, imprudentiſſimus remediorum abuſus conferre poterit.

§. 429.

In colica pertinaci conducit iter aliquod, ut corpus plurium dierum equitatione excitetur, fibræque meſenterii longo morbo relaxatæ priſtinas reaſſumant oſcillationes. Id quod a remediorum acervo vix potuerit exſpectari.

§. 430.

Cantus & vociferatio juxta Doctiſſimum *Mercurialem* convenit iis, qui humiditate occupatas interiores partes, quique corporis habitum frigefactum habent. Convenit & ſtomachicis, vomentibus, acidum ructantibus, ægre digerentibus, cibos faſtidientibus, atrophia laborantibus, languidis, cachecticis, hydropicis, aſthmaticis, phthiſicis, apoſtemata rupta habentibus in thorace, difficile parturientibus, quartanariis, pituitoſis, convaleſcentibus, fere omnibus. *Galenus* ſtomacho laborantibus

tibus unctiones, exercitia & vociferationem præscribit. Vide plura in *Mercuriali* de gymnastica, ubi pulchra leguntur de effectibus lecti pensilis, cunarum, natatione &c. item de balneis.

§. 431.

Laudat *Baglivius* usum balneorum publicorum, ad quæ plures ægros misit, alios ut laventur, alios, ut strigili pelliceo fortiter fricentur; alios, ut primum paulum sudent in stupha balnei, dein balneum tepidæ statim ingrediantur &c.

§. 432.

A quibus morbis ad quales transitus fiat, investigare oportet. *Hipp.* L. de morbis. Transitus fit in his ex pleuritide in febrim ardentem, ex phrenitide in peripneumoniam; ad dysenteriam tenesmus transit, & a dysenteria lienteria; ex lienteria in aquam inter cutem transitus fit. Ex pituita alba in aquam inter cutem; ex pleuritide & peripneumonia in pectoris suppurationem; si rigor corripuerit, ardor igneus supervenit. Nervus dissectus convulsionem facit, neque coalescit & fortiter inflammatur. Si sauciatum cerebrum fuerit, febrim necesse est supervenire, & bilis vomitum, & aliquam

corpo-

corporis partem ſideratam fieri, ac perire. Sanguis in ſupernum ventriculum affuſus in pus convertitur.

§. 433.

Febris ardens deſinit in pulmoniam frequentiſſime. Phrenitis, pleuritis, & pulmonia, eodem modo curandæ. *Hipp.* de morbis.

§. 434.

Judicari in morbis eſt, quum morbi augeſcunt, aut marceſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt. *Hipp.* de affection. n. 8.

§. 435.

Melancholia mutatur in epilepſiam & contra. *Hippc.* 6. Epid. Sect, 7.

§. 436.

Dyſenteria male curata convertitur in tertianas, varicem, teſtem, crura, coxam. *Hippc.* de victu acut. Podagra mutatur in dyſenteriam & alias infernas eliquationes, per quas ſanatur. *Hipp.* 2. *prædict.* Dyſenteria a variis magnis morbis liberat, quos vid. 2. prædict. Colici & dyſenterici non raro fiunt arthritici. *Duret.* fol. 223.

§. 437.

Dyſenteria, ſi intempeſtive ſiſtatur, facit abſceſſus ad viſcera, vel articulos; cruenta, ad viſcera; bilioſa, ad articulos, quæ converſio certa eſt, & evidens. *Hipp.* Coac. I. Dyſenteriam bis mutatam vidit *Baglivius* in ulcera pedum & manuum fœda, ſemel in quartanam diuturnam. Dyſenteria deſinit in volvulum ex obſervatione *Baglivii Romæ.* Dyſenteria bilioſa intempeſtive ſanata deſinit in abſceſſum ad articulos. In fine pulmoniarum & aliorum quam plurimorum pectoris malorum, comatoſos videbis affectus. Vomitus diarrhœam ſiſtit. *Duret.* Gravis eſt omnis hydrops, graviſſimus tamen, qui alteri morbo, potiſſimum quartanæ omnium vetuſtiſſimæ. *Duret.*

§. 438.

Quartana mutatur in rheumatiſmum, ſcabiem, & fœda ulcera.

§. 439.

Quæ juvant pectori, juvant renibus ait *Baglivius* ex propriis obſervat.

§. 440.

Febres acutæ ex aurium dolore ſunt letales.

§. 441.

§. 441.

Quartana ſanat epilepſiam; febris convulſionem, vel etiam catarrhum, aſthma &c. ſic etiam ophthalmiam diarrhœa, lienteriam ructus acidus, pleuritis pulmoniam, & phrenitis letargum.

§. 442.

Omnis acceſſio gravis mali ad grave malum, lethale eſt.

§. 443.

Spinæ tuberculum dyſenteria curat. Icterus frequentiſſime mutatur in tympanitidem. Tartareæ & calculoſæ bilis concretiones, affectionesque in ſuis organis, tympaniticæ ſunt, ut fere decies obſervavit *Baglivius*.

§. 444.

Quæ per ſympathiam accedunt, omniaque epigenomena morbum primigenium omnino non ſolvunt.

§. 445.

Panaritium index pruritus cutis & futuræ ſcabiei.

§. 446.

Sæpe febres longas intermittentes per ſpirituoſa & volatilia remedia in continuas muta-

tare conatus fuit *Baglivius*, ad hoc ut continuitate celerius refermentefcat, & digeratur peccans materies.

§. 447.

Hydrops ficcus ventris; hydrops ficcus pulmonum, five afthma convulfivum; mola uteri convulfiva, five hydrops ficcus & vanus uteri non bene adhuc a medicis cognitus, nec examinatus; icteritiæ convulfivæ ad invicem convertuntur. Singulorum idem ftatus, eaedem pene fingulis indicationes, remedia, & id genus alia: fpasmodice irritatæ fibræ gravia hæc mala pariunt, ut fæpe vidit *Baglivius*, in principio fluidorum irritans morbum producit: in prægreffu & ftatu in folidis irritatis intentis, crifpatis unice confiftit, liquidorum curfum mille modis turbantibus.

§. 448.

Obfervatum refert *Baglivius* anevrismatis latera procedentibus temporibus offea & fere cartilaginea evafiffe, & ægrum convaluiffe; ergo natura aliquo faltem modo anevrismata fanat.

§. 449.

Quando incidimus in morbos vel omnino incurabiles, vel cognitu curatuque

difficiles, nihil magis curandum, quam ut a nimia remediorum, vel inutilium, vel minus proficuorum copia abstineamus.

§. 450.

In morbis obscuris medicus indicationem curativam ex levi quolibet signo, aut judicio a morbo prodeunte arripiet. Curandi verum rationem colligere debet ex occasionibus, quæ ægrotum impulerunt in morbum.

§. 451.

Multi mentis abstractionem molestissime ferunt, caput caloribus repletur, labefactatæ digestionis damna sentiunt, deinde & alios morbos, qui a chylo male digesto, praveque sanguefacto proveniunt. Qui hoc cognoverit, cognoverit veram radicem malorum mesenterii, hypochondriorum, dentium, foetoris oris, saporum linguæ depravatorum &c.

§. 452.

Apparatus in primis viis læsarumque digestionum indicia lingua monstrat cum sapore depravato, ut plurimum amaro, vel ingrato, inappetentia, affectiones circa hypochondria, potissimum aliquot horis post pastum, digestione pene peracta.

§. 453.

§. 453.

Animadvertes in praxi, aliquos ægros ſluxionibus & diuturnis morbis obnoxios tempore quadrageſimali convaleſcere; paſchate iterum langueſcere ob uſum carnium. Obſervabis etiam quosdam morbos ab obſoleto uſu caulium, leguminum, olerum, piſcium, aliorumque ciborum hujusmodi evaneſcere, cibis vero boni ſucci exacerbari & creſcere.

§. 454.

In gonorrhæis, ſingulisque uteri atque veſicæ catarrhis ſive fluoribus, ipſis quoque calculoſis & urinæ affectionibus, ad alvum ſemper ducendum.

§. 455.

Nihil magis confert aſthmaticis, quam debita equitatio, & mora in aëre ruſticano. Aër montanus, campeſtris & marinus, juvant; varius tamen debet eſſe pro varietate aſthmatis & temperamenti ægri. Nonnullis montanus, aliis campeſtris conducit &c.

§. 456.

Febribus meſentericis pueri, item opipare viventes obnoxii ſunt, curantur fomentis, balneationibus, repetitis purgationibus, & demum educta omni cacochilia,

ſero lactis cichoreato; uſu vero corticis peruviani deſinunt in hecticam. Juvat potius herbis ſtomachicis, leniter amaris, & aperientibus curationem inchoare, quæ cacochyliam ſolvere, movere ac digerere valent; ſicque præparatam ſingulis diebus apozemate leniter purgante clyſteribus repetitis, fomentationibus ventris ad exitum quam celeriter ſollicitare. At ſi aut teſtacea aut chinchinam dederis, tria exſpectato, aut inflammationem, aut lentam ac diuturnam febrim, aut morem. Chinchina adhiberi poteſt in fine morbi, corpore jam purgato; item ſcopo roborante. Præterea in ægris humidi, craſſique corporis habitus: ita *Baglivius* præſcribere ſolebat.

R. Salis ammoniaci ſcrup. j.
Pulo chinchinæ ʒj.

§. 457.

M. F. pilulæ capiendæ initio paroxyſmi, quoties urget neceſſitas.

§. 458.

Hoc ſalis ammoniaci cum cortice peruviano connubium infallibile febrifugum a *Baglivio* audit, ab ipſo excogitatum & expertum. At ſi ipſum fallat hoc remedium

dium, certe non fallet aliud ex floribus chamomillæ peculiariter paratum; vocat id arcanum maximum ad febres intermittentes, quod nunquam fallit, estque princeps omnium febrifugorum. Eodem quartanas profligavit. Id suo tempore se manifestaturum promisit.

§. 459.

Negotiosis hominibus & studio deditis, singulis diebus debita hilaritas, animorumque laxitas est concedenda.

§. 460.

De usu & abusu *diluentium* & *oleosorum* parca quædam, sed bene notanda *Baglivius* scripsit, aitque oleosis & aqueis solida laxari, & flaccesere, fluidorumque cursum tardiorem reddi; hinc esse apoplexias, hinc obitus repentinos magis hodie, quam olim Romæ frequentes. Vires ventriculi his prosternuntur. Stomacho prius prospice &c.

§. 461.

In cadavere viri anni 30 aetatis *Baglivius* sequentia observavit: ren dexter solummodo, in dextera lumborum regione positus inventus est; sinister deficiebat; ejusdemque lateris ureter, vasa emulgentia, spermatica, & vesiculæ seminales pariter

deficiebant; ren erat ſolido major, ut ſiniſtri partes & officium ſuppleret, prout in alio cadavere ſemel viderat, in quo unicus ren aderat in medio lumborum poſitus, ſed ingens & amplus, ut duos pene magnitudine ſua æquaret.

§. 462.

Ea pars, cui arteria anevriſmate laborans reſpondet ac proſpicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum, ac demum paralyſi laborat, non alia de cauſa, niſi ob impeditum liberum ſanguinis circuitum per eam ob ſuppoſitum arteriæ anevriſma. Adſunt etiam cordis palpitatio, vertigines, frequentes ſyncopes, ſpirandi difficultates, inæqualitas pulſus &c. hemiplegia, tumor pedum oedematoſus, reſpiratio impedita, tuſſis &c.

§. 463.

Baglivius in homine octuagenario ex apoplexia demortuo obſervavit vaſa cerebri dura, tumida & varicoſa, & dum ſecaretur cerebrum, manifeſta durities cultro percipiebatur.

§. 464.

Pythagoreorum balneum ex ligno cedrino pro retardanda ſenectute, leniendisque

que artuum morbis adhibitum, & odorosa cedrina pice temperatum, incredibile quantum arriserit *Baglivio*.

§. 465.

Hippocrates magnam solidorum rationem habuit, de nullo remediorum genere meminit frequentius, quam de balneationibus, lotionibus, embrochis, frictionibus, unctionibus, succussionibus, sacculis exsiccantibus, vel humectantibus, & cujuslibet modi exercitationibus, quæ immediate agant in solida & ipsorum, uti & fluidorum per ea circulantium vitium corrigunt. — — Sed facto prius solidorum & fluidorum examine, ab utro ipsorum morbus pendeat investigandum.

§. 466.

Vitium solidorum deprehenditur præcipue in diuturnis intermittentibus, ubi crudus primarum viarum apparatus adest, laxusque intestinorum tonus; juvant amara, lixivo-alcalina, chalybeata &c.

§. 467.

Aliud vitium solidorum est eorum siccitas, irritatio, crispatio & convulsio, unde fluidorum cursus, ob fibrarum videlicet nimium resiccationem, impeditur. In quo

casu non acria & volatilia remedia juvant, sed anodyna, emollientia, humectantia, balneationes nempe, lotiones pedum, calida fomenta emollientia utero, emulsiones seminum, decocta radicis altheæ & seminis lini copiose per os sumptæ, oleum amygdalarum dulcium, gelatina cornu cervi &c. Tali ratione curabitur suppressio menstruorum in fœmina macilenta, sicca, facie rubicunda, colore fusco, crasi sanguinis sulphurea, & calido ut ajunt temperamento prædita. Nocent enim ibi amara, acria, aperientia. Si ante usum remediorum optimorum sanguis mittatur, remedia magis celeriusque conferent, ut experientia sæpe docuit.

§. 468.

Ait divinus senex Epid. Sect. 2. Nihil temere affirmandum; nihil contemnendum; contraria, paulatim facta accessione adhibenda sunt, &, inter quiescendum.

§. 469.

Putat *Baglivius*, salem acidum & acidam primarum viarum cacochyliam in chronicis regnare, hosque morbos ab hac cacochylia produci; salem vero urinosum in acutis & inflammatoriis affectionibus.

§. 469.

§. 470.

Semper in curatione morborum observandum est, an mutatum sit solida inter & fluida æquilibrium; & si mutatum, an solidi magis quam fluidi, vel potius utriusque vitio, ac defectu.

§. 471.

Virum ventriculi languore, febricula & ictero flavo labarantem *Baglivius* curavit infusione rhabarbari & aliquando decocto radicum helen. marubii albi, aliquando vero decoctum fragariæ, chelidonii major. & cardui bened. quibus ut pote appropriatis remediis, alvo & urina libere solutis, convaluit.

§. 472.

Magni refert scire, quis fibrarum status sit, in singulis morbis, *laxusne* sit, an *intentus*: an fluidum *sui* & *solidi* culpa hæreat alicubi; & si solidi, an *laxati*, vel vero crispati, contractique.

§. 473.

Fœmina 40 annorum aetate corripitur dolore renis sinistri cum vomitu & urinæ suppressione, omnia signa calculi renum ab *Hippocrate* descripta aderant. Remedia varia nil juvabant. Dolor renum crescit.

Circa hypochondria ſentiebat fortiſſimam & ſumme doloroſam conſtrictionem, perinde ac ſi funibus eſſe conſtricta. Reſpirabat veluti ſingultiendo. Convulſiones internæ frequentes. Tinnitus aurium in principio. Inappetentia maxima. Sapor oris peſſimus. Nulla vel levis febricula. Circa ſeptimum omnia in deterius. Venter tumere cœpit. Ab umbilico ad coſtas circa ſtomachum peſſime habebat, ac ſi canes ibi roderent. Nono die peſſima omnia. Tumor pedum, reſpiratio ſingultuoſa. Nil juvabant remedia, ſapor linguæ omnis malus. Inquieta, anxia. Sedere magis quam decumbere volebat. A motu pejus habuit. Irritis balneis aliisque remediis, convulſa vehementiſſime paulo ante mortem, die undecimo periit, ſingultiendo. Secto cadavere calculus magnitudine digiti pollicis incurvatus & partim in pelvi, partim in principio ureteris exiſtens, in *dextro rene* inventus eſt, cum tamen dolor ſiniſtrum duntaxat renem moleſtaret. Alibi nil morbidi inventum eſt.

§. 474.

Sæpe expertus eſt *Baglivius*, eos, qui proximi ſunt, ut in febrem vel gravem viſce-

viſcerum, præcipue naturalium affectuum incidunt, plures ante dies nulla in parte evidentius, quam in lingua futuræ affectionis ſigna percipere; in qua, loco naturalis ſaporis, amarum, viſcidum, acidum, aut ſalſum, præſertim circa horas matutinas cum magna virium laſſitudine, & inappetentia obſervant, — — certo indicio, hujusmodi affectuum cauſſam vel a vitiata pendere ſaliva, vel eam eſſe læſæ chilificationis & inde nati morbi primum ac præcipuum ſignum. Neque ſolum ſaporem, ſed & colorem linguæ mutatum morborum initio cernimus, nam ex naturali rubro mutatur in fuſcum, viſcido — nigrum, flavum cum ſiccitate, & aſperitate.

§. 475.

Item ex halitu oris ſpirantis odorem vitrioli, aluminis, cibi corrupti, vel aliorum odorum nares ferientium medicus, in cognitionem venit peccantis limphæ, crudi apparatus meſenterici, ſtomachici, ſcorbutici.

§. 476.

Placet *Baglivio opinio* exiſtimantium morbos epidemicos & contagioſos mediante ſaliva ab infecto aëre conſpurcata communi-

municari, cui pariter experientia ſuffragatur: contagio affecti conqueruntur incommoda circa ventriculum & hypochondria, ſcilicet nauſeam vomituritionem, pravum linguæ ſaporem, anxietates, vomitus, cardialgias, calores viſcerum.

§. 477.

Baglivius ex linguæ, ſalivæ, & totius oris habitu febrem lymphaticam, vel meſentericam cognovit.

§. 478.

Baglivius in Diſſertatione de ſalivæ natura, uſu & morbis accurate morbos ex peccante lympha ortos deſcribit.

§. 479.

In defectu bilis, vel ejus inertia optime profuit ſæpius maſticatio rhabarbari ſtatim ante prandium.

§. 480.

Ingens morborum ſeries pendet a depravata chyli in duodeno purificatione; chronici morbi enim fere omnes ab hoc fonte originem trahunt, & a morboſo primarum viarum acido; item innumeri viſcerum naturalium *acuti morbi* cum lumborum & hypochondriacorum pravis affectionibus; ut & omnes fere cutis, & quam plures

plures aliarum partium affectiones, quas obstructiones vocant medici.

§. 481.

Experientia didlicit *Baglivius*, pueros lenta febricula cum macie, siti, inappetentia, pallore vultus, tensione caloreque hypochondriorum & alvo nunc lubrica, nunc adstricta laborantes, usu remediorum, quæ stomachica dicuntur, aromatica & deobstruentia, pejus habuisse præfatisque symptomatibus accessisse sudores nocturnos, maciem majorem, & magis acrem febris calorem; ac fere proximos fuisse, ut marasmo corripiantur, sed re perpensa non erat tam ventriculi debilitas, quam potius amurcosa bilis, acris, viscida, circa jecur, vicinasque partes collecta &c. Danda potius sunt medicamenta bilem diluendo temperantia & per alvum subducentia. Juvat infusum foliorum sennæ, manna, serum lactis tamarindinatum, & rheum. Subinde emollientia interna & externa adhiberi debent, ut crispatæ ab acri materia fibræ relaxentur. *Nota*. Sæpe enim perperam intus dantur medicamenta, nisi, habita solidorum ratione, per externa obviam eamus morbo.

Alia

§. 482.

Alia methodo uti debemus in curatione icteri a bile viſcida, amurcoſa & inerti circa jecur impacta; alia vero ab eadem, dum copia peccat & acrimonia. In primo caſu proſunt ea, quæ concretionem bilis ſolvunt, & amiſſam fluiditatem reſtituunt. Purgantia leniora ex cremore tartari &c. aquæ purgantes, diureticæ diluta, eductaque bile; proſunt deinde roborantia.

§. 483.

At in ictero a copia bilis, tenuitate, & acrimonia, utendum diureticis, diluentibus, nitratis, quæ illam contemperare valent.

§. 484.

Si bili addatur mucago acida viſcida, ea brevi in calculos felleos concreſcet, ea ratione, qua quis ex intemperantia vini, lactisque diu ſimulque ingurgitatis brevi tophos, calculosque patietur. Ex quibus ratio reddi poteſt, cur exiſtentibus calculis in veſica fellea, germinent quoque in urinaria & contra. Calculoſis & ictericis minerales acidulæ optime conveniunt.

§. 485.

Acida vel potius auſtera cum bile mixta ſubſtantiam viridem faciunt, cum ſedimento amurcoſo, viſcidoque, cinereo, alboque (fors alvi cretaceæ explicatio, & curatio hinc haberi, poteſt *Stoll.*) uti teſtantur experimenta cum alumine, ſpiritu nitri, ſalis, & vitrioli facta.

§. 489.

Per experimenta *Baglivii* cum bile inſtituta conſtat, bilis virtutem nil magis acuere, quam ſalia lixivialia plantarum, & amaras plantas. Item bilis maximam mutationem fieri ab acidis. Adeoque ubi excrementa videmus nimium in colore mutata, & ad viridem, æruginoſumque accedere, id ab acido maligno, vitriolico, corrodente factum eſſe credamus.

§. 487.

Nima animi quies magis prohibet transpirationem, quam nimia corporis. *Sanctorius* Libr. 5. Aphor. 15.

§. 488.

* Qui quotidie ſordidos, viſcidosque dentes habent, licet eos quotidie abſtergant, ii ut plurimum ſunt ſtomacho debiles, male digerunt, ore fœtent; poſt prandium ca-

pite

pite dolent, mœſti ſunt, atque debiles: & ſi ſtudiis atque negotiis eo tempore dent operam, iraſcuntur, impatientes fiunt, capiplenio cum dolore corripiuntur; ad venerem minus proclives ſunt: generaliter enim debiles veneri non ſunt dediti, imo potius frigidi & impotentes. Debiles quoque ſtomacho natura ſunt ſomnolenti; mane vix evigilant, imo nunquam ſomno ſatiarentur matutino, potiſſimum quando veſperi replentur victu copioſiore. Sunt pariter debiles, languidique corpore, facie aliquantum pallidi: & quod primum eſt, maxime ſomnolenti: & ſi non dormiant, quantum ſtomachi debilitas poſtulat, peſſime habent, morbisque quam plurimis fiunt obnoxii. Sinendi itaque ſunt, ut dormiant, præcipue ſi pueri ſint aut juvenes. Potionibus The, Caſſée, Chocoladæ, ſimulque ſtomachum recreantibus juvantur & ſanantur.

§. 489.

Uſu calidorum, acrium, aromaticorum, calli pedum ſummopere dolent & exacerbantur; & quando hi ſine cauſa dolent, ſignificant latentem apparatum regnare in liquidis acrium, acutarum, purgantium, ſalinarumque particularum.

§. 489.

§. 490.

Quod de callorum dolore *Baglivius* monuit, dicas pariter de dolore dentium repente orto ſine cauſa; de catharro ac ſternutatione ob exiguum ſuſceptum frigus, vel auram nocturnam.

§. 491.

Qui nimium replentur cibis, ſi poſtea bene dormiant, beneque per ſomnum tranſpirent, non ita facile ob nimiam repletionem ægrotabunt, ſicut ægrotarent, ſi non dormierint, & non tranſpiraverint.

§. 492

Dogma generale eſt: qui male digerunt, male tranſpirant.

§. 493.

Duo medico ſunt præcipue neceſſaria cognitu, primo accurata methodus curandi febres, deinde doctrina ſolida de curandis ventriculi & proximi meſenterii morbis.

§. 494.

Aeque noxius eſt nimius cibus, ac extrema diæta; ſed magis hæc, quia partes defraudat debita reſtauratione, in qua conſiſtit vita.

§. 495.

In infarctu meſenterii, obſtructisque viſceribus diuretica urinam magis adhuc ſupprimunt. Non diuretica, ſed purgan-

tia ſolutiva per intervalla data urinam moꝰvent in hiſce caſibus. In morbis ſedem habentibus in maſſa ſanguinis, diuretica prodeſſe poſſunt. Quod de urina dictum eſt, de aliis quoque evacuationibus, e. g. de ſudore, dicta ſint.

§. 496.

Hyeme, ad præſervandum, purgationes mediocres per intervalla juvabunt, æſtatisque tranſpirationem compenſabunt. Hac etiam ex cauſa ſcabies morbique cutis quamplurimi circa ſolſtitium hyemis incipiunt ac vigent.

§. 497.

Fere ſemper in chronicis organi læſio adeſt, & ſi non eſt, diuturnitate mali tandem ſuccedit.

§. 498.

In muliereulis menſtruorum ſuppreſſione laborantibus, quæ ventre intumeſcere incipiunt, ac ad molam ventoſam uteri, ſive hydropem ſiccum ejusdem, ſive vulgo falſam graviditatem pervenere, ſtatim, inſtituta male ſana & a *Baglivio* minus probata ſanguinis miſſione, iisdem medici præſcribunt amara, calida, aperientia, myrrhata, caſtoreata, & alia id generis moven-

moventia. Inepta hæc præſcribi univerſim ait *Baglivius*, nullo ſcilicet facto examine, an iracunda ſit mulier, an placidis prædita moribus; an arida, ſiccave, an vero mollis & ſucci plena; an morbis animi laboret nec ne: quinam ſit elater in ſolidis, quæ acrimonia in liquidis, quod æquilibrium in utrisque. Curantur more, quo hydropes ſiccos ventris curare ſolemus, per emollientia, criſpaturam mulcentia, indignationem liquidorum lenientia, aliaque nobis nota & uſu probata.

§. 499.

Libera tranſpiratio debilem facit conſtitutionem corporis, ſed ſalubritate compenſatur.

§. 500.

Melancholicos doloribus vagis dire excruciatos vidit *Baglivius* juvari ſero lactis ſimplici, vel viperinato, ſuccis depuratis ſonchi, boraginis, cichorei, longa potione aquæ nucerianæ & ſimilibus.

§. 501.

Aſthma ſiccum, hydrops ſiccus, mola uteri convulſiva, hydrops uteri ſiccus ſunt morbi analogi.

§. 502.

Folio 370 ait *Baglivius*, ardens mutatur in lypiriam & epialam, ergo datur una species febris *ardentis*, quæ ad febres *biliosas* pertinet; alia autem species febris *ardentis* erit febris inflammatoria. *Stoll*.

§. 503.

Folio 424 & 425 videtur *Baglivius* describere febrim *nervosam*, aitque hanc neglectam abire in mesentericam. Causam asserit lympham viscidam, eamque vocat *lymphaticam lentam*, quæ adeo cum *nervosa Huxhami* eadem esse videtur.

§. 504.

Mictus sanguinis nigri, vitriolici & ad instar atramenti valde obscuri & nigri, criticus solet esse, & aliorum morborum liberator, nempe capitis & pectoris, uti in nonnullis senibus observavit *Baglivius*. Ita fluxus sanguinis atri, nigri, vitriolacei, fœtidi, pestiferi, per alvum effluens, criticus esse solet & complurium morborum ventris, dolorum diuturnorum circa lumbos & similium liberator, dummodo tamen non sint dura, obstructa & intenta hypochondria, præcipue dextrum; in quo casu letalis est hic sanguinis fluxus; itaque talis fluxus

xus

xus non eſt ſiſtendus in mollibus hypochondriis, ſed ſinendum ut fluat, donec veluti per criſin viſcera naturalia liberentur; — — ſanantur uſu ſeri lactis cum hedera terreſtri recenti & radice ſcabioſa recenti cocti. — — Fluxu talis ſanguinis quidam liberabatur a crudeliſſimis lumbi dextri doloribus. Ex hujusmodi doloribus lumbi dextri pertinaciſſimis & diris, durantibus per totum triennium, obiit derepente vir melancholicus. In cadavere obſervatæ ſunt plures libræ ſanguinis concreti, coagulati, fœtidi circa omnes muſculos lumbi dextri. (Hic mictus ſanguinis a ruptis vaſis varicoſis hæmorrhoidibus ad veſicam tendentibus, pertinet ad primam ſpeciem morbi nigri *Hippocratis* de quo vide *Tiſſotum.* Varices introrſum ruptas & mictum etiam ſanguinem *Tiſſotus* non habet. *Stoll.*)

§. 505.

In rheumatiſmo inflammatorio, factis aliquot venæ ſectionibus, datisque emollientibus, in morbi declinatione, viribusque proſtratis dedit *Baglivius* infuſum flavedinis corticum aurantiorum, cum aqua fervente factum copioſe potandum. Hanc aquam citratam frequenter præſcripſit *Ba-*

g*livius* ſuis Romanis, loco Caffée, aut Chocholadæ; Caffée enim, ſi nimium potetur, officit nervis; Chocolada nimia ſanguini & capiti.

§. 506.

Autumno anni 1703 cœperunt variolæ & morbilli, regnarantque copioſe: erant autem non valde graves, nec mali moris: confluebant tamen; & licet plurimis ſuperveniret diarrhaea, bona erat, nec periculoſa, quod etiam alias obſervavi (*Baglivius*) in variolis; unde in apparatu pravorum humorum cum variolis, ſi diarrhaea venit, non ſemper noxia eſt, ac moleſta; ſed quando variolis ſupervenit ſpirandi difficultas, ſemper mala eſt. Qua de cauſa nihil magis obſervo quam reſpirationem in hiſce morbis; bona enim reſpiratio ſemper bonum indicat &c. — — Ut ergo materies denuo ac citiſſime ad ſuperficiem corporis revocetur oſcillatione morbo contraria, totum fere corpus juſſit *Baglivius* ſcarificare, & appoſitis cucurbitulis ſanguinem ad duos fere dies educere; quo educto involutus fuit æger linteis calidis, diſpoſitusque ad dormiendum, mane tota cutis oblinita eſt oleo amygdalarum dulcium mixto cum ſpi-

ritu

ritu ſalis amoniaci; facta eruptio denuo eſt, & ſalus ſecuta. — — — Multi acu aurea variolas pungunt, ut pus educatur, ne longiori mora cutim rodat. — —. — Quod de variolis ad interiora recurrentibus, moxque per artem ad exteriora revocatis notavimus, intelligi quoque poterit de petechiis aliisque papulis cutaneis in malignis febribus, eadem nempe methodo ſcarificationum & unctionum curari.

§. 507.

In curatione febrium meſentericarum feliciter adhibuit *Baglivius* fomentationes ventris, nec non juſcula digerentia, cichoreum, ſem. citri, radic. graminis aliaque; in tybacea ſimul cocta purgantia per intervalla, materia jam digeſta & cocta propinata; victum tenuem.

§. 508.

Aeger, referente *Baglivio*, crudelibus doloribus in ſiniſtro rene vi calculi divexatus, pluribus fruſtra adhibitis remediis, levabatur tandem facto clysmate ex juſculo carnis, & oleo amygdalarum dulcium. Quod vero admiratione & animadverſione dignum eſt; clysma per ſex horas in ventre manſit, tandem totus per urinam ſeceſſit, nihil-

que per alvum, & in ſuperficie urinæ oleum clyſteris innatabat.

§. 509.

Frequentiſſime obſervavi in pueris & infantibus convulſione affectis, ſi venter nimium intumeſcat, intendatur, & durior evadat, moriuntur. — — — Quare mortem prædicito pueris, ſi convulſionibus gravibus durus intentusque venter ſuperveniat.

§. 510.

Hydrops ſiccus, magnus & crudelis hic ſolidorum morbus, homines præ ceteris ſiccos, aridos, aduſtos, iracundos, alvo ſicca laborantes, nimium exercitatos, & intempeſtive, poſt abuſum rerum calidarum, ſalinarum, acrium, volatilium, poſt ardentem aliquam febrim, nimias vigilias, nimiam veneris exercitationem, aliaque id generis, quæ corpus ordinario exſiccant, invadit. Incipit morbus a doloribus circa lumbos & umbilicum, ut olim etiam notavit dictator noſter. Pedes frequenter non intumeſcunt, niſi paucis ante mortem diebus, vel hebdomadis. cum tympanitidi aſcites ſupervenit; creſcentibus in dies doloribus, nec remittente morbo, creſcit ſenſim in-

tenſio

tenſio elaſtica potentiſſima fibrarum abdominis, ſub ſpecie tumoris ventris flatulenti; non quod flatus ſit cauſſa morbi, ut antiqui crediderunt, ſed fibra intenta criſpataque & portentoſe oſcillans, quæ, cum tangitur, reſonat, ut intenta vel reſiccata tympani pellis; calidis remediis, purgantibus, ſudoriferis, quæque agunt exſiccando, malum exacerbatur vehementiſſime, & vires acquirit eundo: contra remediis humidis, anodynis, demulcentibus, balneatione, ſero & lacte, potione aquarum copioſa, miteſcit & ſæpe ſanatur, ac cedit. Si vero ſpreta remediorum vi dolores & fibrarum intenſiones creſcunt quotidie, ſuperveniunt vigiliæ, inappetentia, febricula, alvi ſiccitas, ſitis &c. tandem ſolidorum diuturna criſpatura, ſenſim quoque criſpatur, contrahitur, exſiccaturque vaſorum ſyſtema potiſſimum per abdominis longitudinem, & hinc ruptis vel apertis lymphaticis lymphaque depluente in abdominis cavitatem, ſicco hydropi ante mortem ſupervenit aſcites letalis. — — — In hujusmodi caſibus malum incipit a ſolido, dum vero liquida in conſenſum trahuntur, æquilibrium mutatur, & liquidum pariter pec-

cat. In curatione tamen ſemper reſpiciendum ad ſolida erit, quæ ſane poſt mortem in meſenterio & vicinis locis arida, tabida, ſicca & emuncta inveniuntur, quod in pluribus tympanitide mortuis obſervavit etiam *Ballonius*.

§. 511.

Huic malo analogus eſt, nec in lædendo multum diſſimilis morbus, crudelis, humidus & lachrimabilis dolor ventris, quem dicunt *colicam convulſivam*; occidit paucarum horarum intervallo, vires incredibiles acquirit eundo, pauci ipſum effugiunt, niſi in doctiſſimum, & in ſolidorum natura peritiſſimum inciderint medicum. Corripit ſanguineos aduſtosque homines, intemperate viventes, & venere immodicos, bilioſos, pendetque ab enormi infarctu pravorum humorum in primis viis, copia & exaltatione incredibili bilis in jecinore: cujus exaltationis & acrimoniæ bilioſo — ſalinæ cauſa criſpari, convelli, contrahique fibræ jecinoris incipiunt, quandoque fibræ inteſtinorum vicinarum partium, communicataque vicinis locis dolorifica criſpatura, res tandem deſinit in colicam convulſivam; in hac dolores crudeliſſime

lissime totum abdomen invadunt, ventris tumor, intensio, duritiesque tanta supervenit, ut ne quidem digito tangi possit venter, sed ad instar tympani bellici tensus intentusque doloribus veluti tot canibus miserrime laceratur; crescentibus doloribus, sitis, vigiliæ, inappetentia, singultus, vomitus, &c, ad mortem properante, iliaca passio cum stercoris vomitu superveniunt, qua pereunt miserrime & crudeliter. Usu remediorum calidorum, quæ in vulgari colica exhibentur, indignatur morbus, exacerbaturque vehementissime, & statim ruit in deterius. Si purgans dederis medicamentum in initio morbi, & in actu crudelissimorum dolorum, statim jugulabis ægrotantem. Clysteres injecti nocent maximopere. Nam præterquam, quod ab intestinorum fistula indignata, convulsaque foris potenter repelluntur, usu ipsorum crescit dolor, venterque intumescit magis & dolorificus evadit. Flatus nec unus pedendo, sive per inferiora prodit, sed omnia veluti fatali nodo, & adinstar unci ferrei constricta sunt naturalia viscera; pauci medici curare crudelem hunc morbum sciunt: curare vero nescient, nisi cognita so-

lido-

lidorum natura. Quamvis enim pendeat ipse frequenter a liquidis corruptis, & putri viscerum cachochylia, solidaque enormiter & crudeliter oscillent, a liquidis indignata & crispata in initio morbi crudelissimi, initio horrendorum dolorum tota indicatio curativa dirigi debet medendo solido: laxando nempe quam citissime solidum crispatum oleis, balneis, sive semicupiis, anodynis, gelatina cornu cervi, & quod magis urget, citissime sanguinis missione ex pede, vel hæmorrhoidibus, vel aliis ex locis, nihil enim citius crispatum systema solidorum atque vasorum, relaxat, mollit, lenitque, quam sanguinis missio. Sed quod maxime notandum, initio dolorum tanquam pestis fugiendum est purgans remedium, fugiendi clysteres & usus calidorum. Hæc omnia expertus loquor, ait *Baglivius.*

§. 512.

In hoc morbo semicupia sint ex hydroleo cum herbis emollientibus cocto, relaxatis solidis primum clysmatibus, purgantibus lenissimis &c. educenda est. putris cacochylia.

§. 515

§. 513.

Sæpe vidit *Baglivius* nimium dolentes pleuritides, nullisque remediis cedentem dolorem ſtatim ſolutum eſſe, applicata dolenti lateri curcurbitula ſcarificata, paucoque ſanguine educto, quo facto & ſputum, & ſudores & alia liquida in libertatem poſita apparuere. Spongia aqua calida madens & imbibita in pleuriticis, ſi pluries in die ante os detineatur, & aura calida inſpiretur, fere pro ſecreto ſolvit dolorificam inflammatæ pleuræ, pulmonumque criſpaturam. (Puto cucurbitas optime verſus dorſum applicari in pleuritide, ibique, ubi pulmones thoraci nectuntur *Stoll.*)

§. 514.

Verum eſt, (*Baglivius*,) ſolida varie contrahi, aut relaxari, prout liquidum, quod illis fluit ad contractum, fuerit acre, ſalinum, urens, vel contra oleoſum, aqueum, mucilaginoſum &c. (*Hæc eſt vera idea morborum nervoſorum, conveniunt omnes in nimia fibrarum irritabilitate, ſed differunt ob cauſſas varias, quæ nimirum hanc irritabilitatem in actum deducunt. Stoll.*

§. 515.

Muliercula ætate annorum XXXV, calido prædita temperamento, ob nimiam humorum

morum acrimoniam in lepræ græcorum ſpeciem incidit, cum ingenti menſium ſuppreſſione per multum temporis intervallum: uſu decoctionis ſudoriferæ a medico præſcriptæ abiit in deterius: ulcera in pedibus cum febricula apparuere. Id conſuluit *Baglivius*, ut unoquoque mane plures aquæ libras cum ſyrupo violarum hauriret & duceret per urinas, interjectis per intervalla purgantibus ſyrupis. Horum uſu remediorum, victusque humectantis & dulcificantis ope duorum menſium ſpatio perfecte convaluit, curationeque finita apparuere menſtrua magna in copia, laxatis uſu aqueorum ſolidis, quæ ante potenter criſpabantur ab acrimonia ſalina liquidorum vitalium, & dicta de criſpatura menſtruorum fluxum impediebant: quæ animadvertant ii, qui ſingulas menſium ſuppreſſiones myrrhatis, acribus, ſalinis, acutisque aperire contendunt — —

§. 516.

Cœlius Aurelianus Siccenſis Africanus, vetuſtiſſimus methodicus *de ſtricto & laxo* pene divine diſſerit, deque morbis ſolidorum eorumque diagnoſi & curatione optime-

me agit. Semper medicis præ manibus ſit.

§. 517.

Putridæ exhalationes a maceratione lini ortæ peſtiferi quid habent.

§. 518.

Canis venaticus incidit in coryzam, tuſſim ferinam, & præ coryza in graviſſimam ſuffocationem; bis in anno fœdiſſima ſcabie corripiebatur, tandem evaſit ſumme macilentus. Diſſectus fuit. Pulmones omnino integri, nullum coryzæ aut tuſſis veſtigium aderat, nec glandulæ meſenterii. Interea tamen obſervatæ ſunt copioſæ venæ lacteæ in meſenterio, penesque eas copioſa vaſa lymphatica. Lympha his vaſis contenta & a *Baglivio* deguſtata erat mordaciſſima, & linguam graviter feriebat. Etiam in aliis hujusmodi animalibus talem lympham veluti ſubſalſam guſtavit.

§. 519.

Hinc diuretica apprime hoc in caſu convenire videntur. Stoll.

§. 520.

Cor ranarum exemptum, etiam in fruſtula diſſectum, diutiſſime palpitat.

§. 521.

In hemiplecticis *Baglivius* ſolebat venam ſecare in ipſo brachio paralytico.

§. 522.

Lumbricus latus epidemicus eſt in *Hollandia,* nimium ſcilicet abundante lacticiniis, cujusque incolæ lacte & caſeo fere ſolo ſaginantur.

§. 523.

Lumbricus teres ab odore cæpæ diſſectæ per vomitum rejectus.

§. 524.

Symptomata lumbrici lati ſunt: dolor circa jecinoris regionem jejuno tempore, ingens ſputatio; & ſi dolor nimis excruciat, aphonia ſupervenit. Tormina circa ventriculum ferociunt: pallidi ſunt, & imbecilles, ad laborem pigri, quandoque faſtidiunt cibos, quandoque inordinate appetunt, vermiculos figura cucurbitina excernunt.

§. 525.

In urbe *Roma* atque in *Italia* non ita frequens eſt latus lumbricus, ut in *Hollandia.*

§. 526.

§. 526.

Medicamenta ex absynthio externe & interne adhibita vermibus præprimis inimica sunt.

§. 527.

Emetica *Romanis* minus conducunt, (*sunt enim habitus stricti.*)

§. 528.

Si in apparatu crudo mesenterico quis purgationes minus ferre possit, ob nimium fractas ventriculi vires, tunc semel aut etiam bis dedit *Baglivius* clysma emolliens, item quolibet mane jusculum cum 12 sem. citri contus. & cichor. silvestri, addito quodam eleosaccharo.

§. 529.

Inter signa, quæ apparatum humorum in primis viis designant, sequentia sunt patienti observatione nostra & matura meditatione acquisita: Os valde amarum est cum quadam nausea horis matutinis; lingua viscida, glutinosa, ingrati saporis cum oris fœtore, dentes quoque luridi sunt & conspurcati, stercora multum fœtida, & flatus pedendo emissi ingenter fœtent. Caput aliquando nutat & gravitat; & si patiens supra lectum perpendiculariter erigitur, ca-

put hinc inde nutando gravitat; aliquando caput fere continuo dolet cum gravitate, & pulſatione circa tempora; & dolor exacerbatur poſt prandium, & aliquando poſt cœnam. Aures murmurant cum ſibilo. Urinæ naturales, vel a ſtatu naturali non multum recedentes. Febres poſt prandium & poſt cœnam augeſcunt, & typum duplicis tertianæ continuæ ſervant. Calorem in volis manuum aut pedum, & in hypochondriis patiuntur. Vultus pallet; alvus ſicca eſt. Inappetentia moderata. Sed quod magis obſervatione dignum eſt, qui febricitant ex infarctu meſenterii, majora mala in capite experiuntur, quam in meſenterio, in quo morbi ſedes eſt; medicique decipiuntur, cephalica, emulſiones, frigidasque potiones, aut copioſos aquarum hauſtus, ut hodie apud nos invaluit abuſus, propinando; quibus remediis creſcit magis, quam iminuitur morbus, quia creſcit cauſa ob indigeſtionem dictorum inutilium remediorum.

§. 530.

Poſt urinam per decem dies omnino ſuppreſſam ſecutus diabetes eſt copioſiſſimus, quem *Gualterus Harris* infuſo vino, ſo

ſo vini canarienſis cum rheo, ſantali albi citrin. cordamom. minor. curavit (*Hucusque omnia ex Baglivio excerpta ſunt; ſequuntur excerpta ex operibus Ballonii. Stoll.*)

§. 531.

Autumno anni 1570 multis ſudores primis diebus parum levantes, nec morbum ullatenus ſolventes; qui decubuere, de ſolo capite conquerebantur. Ceteris partibus illæſis (autumnus calidus, humidus ac ſuffocans erat); —— virgines viſæ ſunt, febre quam *tritæophyea* vocat *Galenus*, prehendi, quas inappetentia potus in ſummo æſtu premeret. Conſtitutio auſtrina.

§. 532.

In tumore ventris puerorum, cum præſertim ſitis, ſymptoma fere intolerabile, adeſt, ea maxime methodus ſequenda eſt, ut latentis incendii ratio habeatur. Caloris enim alieni dominatu torrentur interna, putredo eſt ἀναδοσις impedita, orificiorum venarum meſeraicarum, lactearumque ipſarum phlogoſis: itaque debet ſanguis mitti, nec debilitari debet ætatula. Deinde purgandum corpus ſenna & rheo frequenter, vel ſyrupo Regio ſaponis cum ſenna. Nec forte omitti debet agaricus,

& qui parcunt his medicamentis, parcunt & vitæ.

§. 533.

Pluvioso cœlo efferi in pulmones catarrhi; cum vetus est in pulmone infirmitas, in vicinas partes facile vitium irrepit: nullis fere pulmonicis (quod pluribus medicis placuit) laudabilis sanguis detrahitur. Sed hoc diorismo utendum; si intemperiem calidam pulmo concepit, illud verum non est; si putredo magna sit, contra.

§. 534.

Pleuritides hoc autumno grassatæ sunt; potius dolores erant laterum ob diffusionem seri a capite; non erat magna δυσπνοια; non tam in tumore & phlegmone consistebant, quam in affusione quadam erysipelatode: juvabat venæ sectio.

§. 535.

Nobili viro dolor erat perpetuus circa mammam sinistram: nullis cessit remediis, perseverat quatuor menses. Inopinato rumpitur abscessus in pleura conceptus, livens, vermiculatum sputum educitur; evasit: tamen febricula manet, & vestigium aliquod doloris remanet. Forte tandem tabidus interibit: metus ne pulmo huic lateri

adhæ-

adhæreat, ανακαθαρσις perpetuo procuranda.

§. 536.

In malignis temporum conſtitutionibus, præſertim, cum febres αςςωδεες vexant, & ægri uruntur, ſæpiſſime detrahitur laudabilis ſanguis, magno ægrorum & virium detrimento; ſerum nullum aut paucum, floridus ſanguis; ſerum calor abſumit, truces oculi, jactationes, cordiogmi. An venæ ſectio tunc utilis? nequaquam, aut parce detrahatur, imo alexipharmaca & cardiaca dentur; alvus blande & ſæpe eluenda, nam dejectionibus inſtar pultis croceæ morbus ſolvetur. Hoc *Hippocratis* & *Galeni* conſilium eſt. Vomitiones ſiſtere, & ſanguinem plenius detrahere nocet.

§. 537.

In plerisque tertianis ſunt cardiogmi, vomitiones ſubvirides. Tales cordiogmi, anxietates, jactationes oriuntur a refluente bile & os ventriculi feriente. Talibus evacuationibus plurimum vires dejectæ videntur, ſed id fit ob morſum bilis, & purgatione reſtaurantur.

§. 538.

An illud verum, mollitiem gingivarum caussam esse, cur non ita cito nascantur dentes? puellarum exempla docent, quibus mollities dentes tardare solet.

§. 539.

Polemarcho Brisiæo motus erat impotentia, deliria, nullus potandi appetitus in summo æstu.. Magna raraque respiratio, oblivio, quæ omnia læsionem cerebri significabant; tamen de rebus divinis altius philosophabatur, de domesticis disputabat, in ceteris delirus omnino. — — In consule regio id observavit *Ballonius*, qui cum summe deliraret, nulla ratione adducebatur, nisi cum de Deo differentes audiret; cetera erat phreniticus, imo quod *Hippocrates* vocat νεανικως εξεσταμενοσ.

§. 540.

Quo plus nutritur corpus, eo læditur magis; cum tamen biliosis, imo & catarrhosis (in quibus & impuritas est, & excessus humoris) inediæ malum potius augent; nam inanis ventriculus & exhaustus satiat se impuris humoribus, bilis ferventior redditur: contra acer acutùsque humor benignitate alimenti mitigatur. Sic in pestilen-

ſtilenti ſtatu accidiſſe narrat *Galenus*, omnes ferme peſte perculſos minime cibos faſtidientes evaſiſſe, ἀποσιτῶς autem omnes fato functos fuiſſe.

§. 541.

Ballonius ait in annot. ad conſtitutionem autumnalem anni 1570. Nec fraudari laude debita debet *Fernelius*, qui meo quidem judicio de atrophia aliquid litteris commemorabile conſignavit: Bilis flavæ & atræ circa jecur perfuſio atrophiæ cauſa ſæpius eſt; vix enim vera atrophia obſervatur, in qua viſcera præter intemperiem non multa quoque bilioſorum humorum colluvie ſcaterent, ac eorum copia diſtenderentur; & cum hæc cauſa naturalem ſpiritum & calorem proterat, vix laudabilis ſanguis gigni poteſt. Laudat *Ballonius* in hoc caſu decoctum hordei, omnium intybaccorum, rad. archus, portulac. ſem. frig. maj. in quo diſſolvi poteſt caſſia; & infuſum rhei ad robur partis αἱματοποιετικης — — Quidam pueris cachecticis, in quibus & ſitis incredibilis, & ἀποσιτια, uſum aquarum naturalium potu ſumptarum conſulunt; quæ opinio ſuis deſtituta non eſt patrociniis. Ceterum in eo ſtatu conſtituti pueri

laborant sæpe fluxu alvi chiloso, ut et ii, quibus venæ meseraicæ sunt obstructæ, vel hepar imbecillum — — diligenter hi purgandi sunt.

§. 542.

In constitutione hyemali anni 1570 grassabantur dejectiones subrubræ, fœtentes, hepaticæ, meseraicæ maxime; dysenteriæ multis contigerunt; multi periere. Vires languebant ob fluores ejusmodi. Sectio venæ multis profuit. Forte conandum erat, ut quam citissime sisterentur; nam fluores erant symptomatici. Multis commode initio statim suppressimus; quibus non suppressi sunt, diu perseverarunt, imo semestres fuere. Nobili Viro suppressa rhei usu alvus humorem phlegmonodem totius abdominis attulit; iterata phlebotomia tumenti alvo occursum est; sanguis erat ιχτεριωδης.

§. 543.

Ballonius ait, nos in malignis morbis & temporum constitutionibus vidimus excretiones fere ab initio morborum factas ad bonum apparuisse; & ut ajunt optimi medendi magistri: qualis sit excretio, & quovis tempore, juvat tamen; quod notari

debet

debet, ne temere de morbis judicium ſententiamque feramus.

§. 544.

In magnis vomitionibus clyſterum uſus frequens, & boli ex rheo valent; nam potiones facile excluduntur.

§. 545.

In fractis jam morbo longo ſæpe hæmorrhagiæ ſymptomaticæ apparuerunt. Putant hac una excluſione allevari ægros; maxime vero iſtæ hæmorrhagiæ contingunt pulmonicis & hepaticis; quod maxime eſt notandum de pulmonicis: & has hæmorrhagias bonum eſt ſiſtere.

§. 546.

Nobilis mulier multis ſcatens excrementis propinata medicamenta quinquies vomuit; concinnant illi ſyrupum ſolutivum, de eo, uno die cochlear unum dant, ſequenti duo, deinde tria: tandem natura retinet medicamenta.

§. 457.

Notandum, plerisque hyeme præſertim rigente dolores laterum excitari a congeſtione ob ambientem frigidum aërem: anhis ſectio venæ imperanda? (ad orgaſmum impediendum) faciendum autem omnino,

nam purgationi tunc nullus locus. In hoc a plerisque peccatur, & ideo Hippocrates purgationi præfert celebrationem phlebotomiæ.

§. 548.

In conſtitutione verna anni 1571, cum hyems præceſiſſet aſperrima, ac exciperetur ab auſtrino pluvioque tempore, nec non magnæ aquarum inundationes eſſent, ineunte vere magna morborum ilias fuit; ſed maxime ſub finem hyemis: & rheumata innumera in pulmones, unde tuſſes & dolores laterum: in fauces, unde anginæ & dolores; & cum tempus vernaret, & tepidiuſculum foret, repentini laterum dolores oriebantur. In doloribus hujusmodi ſectio venæ non profuit. Credo, ait in annot. ad eandem conſtitutionem quod tales, pleuritides peſtilentiales erant. Multi ſub eadem ſpecie morbi interibant; nil omnino proficiebat venæ ſectio.

§. 549.

Galenus comment ad part. 89. ſect. 2. libr. 1 epidemicorum ait, parotides citra ſuppurationem curatas fuiſſe ſolis ad inferiores partes excretionibus.

§. 550.

§. 550.

An in colicis doloribus ſectio venæ? imo præſens remedium, ſi a bile eſſe videatur. Cavendum a medicamentis validis, & uſu linteorum impenſe calidorum; tepore juvantur, & thermasmate. Syrupus violatus confert, imo & uſus lactis recens mulcti, aut calidi.

§. 551.

Firmus puer, robuſtus ſenex, & gravida mulier valens tuto curantur hoc præſidii genere; ſcilicet venæ ſectione; ita *Celſus.*

§. 552.

Quod ſi quis iliaca paſſione cum crebris vomitionibus torquetur, prolapſum ilei inteſtini vereri oportet (nam non raro iliaca paſſio aliunde oritur); quum autem prolapſum eſt inteſtinum, ſi vires admodum debiles videantur ob infarctos ſpiritus, oportet blandis medicamentis alvum ſolvere. Nobilis mulier id declaravit, quam repurgavimus, poſtquam repoſitum inteſtinum fuit, tametſi omnes extimæ partes frigeſcerent. — — Id quod foras eminebat in hac nobili muliere, adeo erat exiguum, ut id omnes negligerent. Reſtituto inteſtino

ſtino æger nondum omni periculo liberatus eſt; ideo danda opera eſt, ut ſaluti falſo creditæ non acquieſcat: alvus non eſt ſupprimenda; nam per aliquot dies multa colluvies debet per inferiorem alvum excerni. Rheum aut pilularum forma, aut potu datum confert. Sed & aliud aliquando deterius contingit; nam circum glandulas meſenterii inflammatio contingit; & tum alvus quidem fluit, & tamen venter intumeſcit. Ideo danda, quæ inflammationem compeſcunt, id quod in multis a nobis eſt obſervatum. *Celſus* C. 20. l. 7. præ ceteris in prolapſu inteſtini laudat inediam & phlebotomiam.

§. 553.

Tabidis dentes liveſcunt.

§. 554.

In multis adeſt multus adeps in ventre & toto corporis habitu, item ευσαρχια bonitasque coloris, cum tamen viſcera ipſa, id eſt, hepar & lien putria in eorum cadavere reperiuntur.

§. 555.

Statim initio menſis novembris anni 1573 hyems incepit algidiſſima, quæ ad menſem Martium ſæviit, & poſt hominum memo-

memoriam nunquam obſervata fuit tam diuturna. Aquilonia erat conſtitutio. Exacta hyeme menſe martio omnes pene pleuritides funeſtæ, nullis cedebant remediis, epidemicæ erant, & cacoëthes; ſine ullo vehementi motu prehendebant; dolor erat fugax, & cum ægri bene habere putarentur, & immunes a dolorè lateris, interibant. Erant autem ſero acri, indomito, cuniculos & viam ſibi parante, eryſipelatodes, non phlegmonodes. Non erat magna difficultas ſpirandi, ſed dolor tantum mediocris: & hinc decepti medici; ingens erat ſitis, leipothymiæ erant, & præter rationem vires vacillabant. Nil commemorabile expectorabant. Vagabantur innumeri herpetes, aphtæ pueris; pauci ab aphtis immunes fuere. Puſtulæ in extrema lingua ſero plenæ. Mulieres iſtas aphtas contempſerunt, tanquam leve malum & inauditum ſed in cancros abiere: teſtamur innumeros ab iſtis cancris ſublatos. Cum talis viget conſtitutio, frequentibus purgationibus, & ptyoliſmo morbos antevertere oportet.

§. 556.

Epidemicorum L. I. Conſtitutione anni 1574, menſe junio, julio, auguſto, febres vaga-

vagabantur mali moris. Quotidianas intermittentes mentiebantur. Exacerbationes omni nocte. Interdiu bene habere videbantur. Initio quidem erat febris vacuitas; sed post unum atque alterum paroxysmum erat assidua febris. Noctes omnibus implacidissimæ; interdiu mens integra, doloris quædam vacuitas, sed linguæ ariditas, amaror, aversatio ciborum, sitis, jactationes; vesperi hinc semper aut caloris, aut frigoris reaccendebatur febris, molesta maxime, cum atrocissimo capitis dolore, mentis alienatione, ingenti siti, vacuitate somni. Mane summa imbecillitas, & sæpe sudores frigidi, *ασφυξια*, aut pulsus exilis, inæqualis; calor aridus; pulsus quibusdam formicans. Judicium nono, aut 11mo die, subinde cum magno vitæ discrimine. Aliis febris protracta, & sine crisibus fere soluta. Parotites multis apparuerunt, aliis funestæ, aliis non. Multis obortæ maculæ rubentes; mox livescentes cum summa membrorum contractione, eas græci εχανθυματα vocant, *Celsus* papulas vertit, quod in epidemiis multis contigisse vidimus magno ægrorum periculo. Parotides ideo multis perniciosæ sunt, tum quia morbo impares sunt, tum quod

omnis

omnis translatio ab infimis partibus ad ſuperiores ſit pernicioſa. — — Febres ad hemitritæas & tritophyes accedebant. Vidimus multos, quibus fluxerat alvus excrementis biliofis, ut ait *Hippocrates*, cum borborygmis: ſed iſti fluores parum proderant; tamen præſtabilius erat, alvum quomodocunque fluere, quam ſubſiſtere; nam materia morbifica excernebatur: tamen ſi, quæ excernerentur, ſubſtitiſſent, deterius actum eſſet cum ægris; adeo quæ injiciebantur in corpus alimenta, corrumpebantur. In peſtilentibus, & male moratis morbis, qualescunque excretiones juvant. — — Aliis fluente etiam alvo cardiogmi remanebant. Aliis ἀπροαιρίτως fluxit alvus cum mentis læſione atque comatoſa diſpoſitione atque evaſerunt; adeo natura juvabatur hac excretione, licet ſymptomatica foret. — — urinæ nullis erant flammeæ, ſed ſaltem boni erant coloris, eodem tempore graſſabantur variolæ mali moris. (*Ballonius* variolas vocat *morbillos Stoll.*)

§. 557

§. 557.

Ante ruptionem variolarum in aliquo homine *Ballonius* vidit summam difficultatem degluriendi. Metu synanches secta vena est, cum etiam adesset insignis febris. Datum clysma. Die sequenti copiosæ variolæ, & brevi convaluit.

§. 558.

Ballonius observavit venæ sectionem & dein catharsin non impedire variolarum eruptionem. (Puto ergo catharsin aut vomitorium necessarium omnino esse in epidemicis variolis mali moris; benignæ autem variolæ potius venæ sectionem præmitti volunt. Si corpus fuerit probe purgatum aut paulo ante variolas, aut ante earundem eruptionem, etsi eæ mali moris sint, sæpe tamen contingit, ut absque pravo symptomate decurrant. Hinc ratio haberi potest meo judicio, quare variolæ alias ex malignarum familia, nihilominus felicissime & absque ullo malo symtomate decurrant. *Stoll.*)

§. 559.

Secundum *Ballonium* apparatus crudus in ventriculo, e. g. bilis copiosa, ingesti immodici fructus horæi &c. si magnas faciat

ciat anxietates cum pulſu febrili, facit febrim *ασσοδην*, ſive *anxiam*. Si vero ex eadem cauſa *extima* algeant, urantur *interna*, erit *lipyria*. (*Aſſodes*, *ergo & lypyria ſunt una eademque febris*, *eodem modo curantur*, *ſcilicet cholera artificiali. Solvuntur vomitionibus bilioſis*, *æuginoſis. Pertinent ad febres Tiſſotio bilioſas dictas. Stoll.*

§. 560.

Numquid in vulgata hydropicorum curatione plurimum ubique aberratur? nam cum hepar hydropicorum vitiatum ſit, exſuccum & per quemdam maraſmum arefactum, tamen ſæpe & confertim dantur ſcammoniata, antimonium, ſuccus ebulorum, ſambuci, thymaleæ, chameleæ, tithymalorum: numquid adaugetur hepatis intemperies, numquid malum malo cumulatur, & augetur perpetua generatio? nullo profectu omnia hæc propinata vidimus. Imo ab his multos interiiſſe teſtamur, quod ſerum utile traxiſſent, & majorem ſitim, calorem, febrem, ſquallorem corporis attuliſſent &c. — — an non alia medendi ratio, & num potius paracenteſis conferat, quam nullo profectu, & cum auctione cauſæ iſta medicamenta præſcribuntur? (*Mea methodus in tali caſu eſſet ſequens: danda*

M *ſunt*

ſunt ea, quæ ſolvunt, uti cichoracea, omniaque intybacea &c. cum iis, quæ vires ſuſtentant. At vero quoniam aquarum colluvies jam adeſt, ea non evacuantibus, utpote quæ ſemper debilitant, ſed paracenteſi etiam ſæpius inſtituta tolli debet. Stoll.)

§. 561.

Quum e pulmone ſanguis reiicitur tuſſi, ille omni arte reprimi debet & ſolet: an hoc verum? ſi febris adeſt, conſtat, & eſt extra controverſiam omnem, non debere ſiſti, niſi cum ſufficienter & imminutus & alio revulſus fuerit neceſſaria venæ ſectione. Hoc *Galeno* videtur *comment. in aphor.* quod inflammationis magna ſit ſuſpicio: an tum malum eſt e pulmonibus ſanguinem educi? Quidam nomine *Reveche* ſatis declaravit, ſæpe innocue e pulmone ſanguinem rejici; nam vidimus eum ſæpe febribus detentum, cum quibus alias cruentum exſpuit, alias ſanguinem e pulmone ſpumantem expectoravit: ſed hoc putamus ob mollitiem pulmonis fieri, ut id eſſet illi inſtar evacuationis ſolennis aut per nares, aut per haemorrhagiam. Quod cum ſit, & ſuſpicio inflamnationis non eſt, & quæ adeſt febris, non ob vitium in pulmone oboritur,

ſed

ſed propter corruptos in meſenteriis humores, tum minus formidandus eſt ille impetus ſanguinis per os: niſi enim magna vaſorum pulmonis eſſet mollities, impetum ſanguinis non facile ſuſtinens, ad nares ſanguis viam affectaret. Vidimus, qui ſæpe minore quantitate ſanguinem a pulmone rejectarent, quos proxime tabes ſit conſecuta. Quamquam magno opus eſt judicio, ut diſtinguas, an excretio illa ſanguinis ſit formidanda, an non, cum parvi non referat ſcire, quomodo ſe ea in re gerere oporteat. (Jam *Galenus & Ballonius agnoverant ſtatum pneumonicum & phlogiſticum ſanguiſputorum. Stoll.*)

§. 562.

Hippocrates ita ſcribit in aphoriſmis: *qui ſanguinem evomunt, ſi ſine febre, ſalutare; ſi cum febre, malum curandum refrigerantibus & adſtringentibus.* Hoc conſulit ſumpta indicatione ab ipſa excretione. An tuto iſta adſtringentia præſcribuntur? nequaquam; niſi magna cum cautione. Nam niſi uſu rerum mellitarum aut oxycrati dilutiſſimi purgaveris pulmones eo ſanguine, qui materiam in eis trahere poſſet, metus eſt, ne corrumpatur, & ita plethoram ac-

cessat — — — (*Male Ballonius Hippocratem intelligit de sputo sanguinis. Interim tamen Ballonius agnovit optime, adstringentia in sputo sanguinis nocere.*) *Stoll.*

§. 563.

Galenus meminit parotidum, quæ exitiales minime erant, quod febrim comitem non haberent, & tumoris œdematosi naturam redolerent, & propter spirituosam substantiam facile evanescerent; quæ autem fiunt propter copiam succorum multorum, crassorum & crudorum, propter vehementiam acrimoniamque, & febrilis caliditatis abundantiam, sursum ad caput delatorum, quos natura in aurium glandulas deponit, propter allatas caussas periculosæ existunt.

§. 564.

Galenus comment. ad part. 25. sect. 2. Lib. 1. epid. ait, discrimen statui inter πυρετος τριταιοφυνεις & ἡμιτριταιους, quod illæ febres nascantur a bilioso subtili & pituitoso. Hæ κατ᾽ ἐξοχην *horrificæ* dicuntur & fere sunt perniciosæ. (τριταιοφιεις *sive tertianarum naturam referentes* ἡμιτριταιοι *semitertianæ vocari possunt. Priores sunt febris biliosa Tissoti*, posteriores sunt *febris maligna Tissoti. Stoll.*

§. 565.

§. 565.

Hippocrates ad frigidos & increscentes morbos μιξιν laudat.

§. 566.

Pilulæ ex rheo; massa pillularum quibus & castoreo veteres & consummatas fere gonorrhœas & fœdas colores & muliebrem fluorem profligaverunt.

§. 567.

Ballonius, etsi variolas & morbillos nominet, tamen *rubeolas* videtur vocare, quas nos hodie *morbillas* appellamus. Data rubealarum descriptio nostris morbis per omnia exacte convenit. Vide *constitut. hyemal. anni* 1574.

§. 568.

In sectione cadaveris, referente *Ballonio*, inventum est intestinum jejunum coarctatum & cartilaginosum; alvo difficili & non nisi enemate aut purgante sollicitanda per multos annos laboravit.

§. 569.

Solebat *Fernelius* post usum medicamentorum purgantium, præsertim rhabarbari, & eorum quæ residuam aliquam siccitatem faciunt, dare magna satis copia syrupum violarum aqua dissolutum.

§. 570.

In quibus mesenterium obstructum est, & uligine plenum, juvat taleolas rhabarbari macerare in ℔j. aquæ adiditis cinnamomo & passulis; de ea aqua ℥vj aut viij præbentur. Ad purgationem puerorum idem fere convenit; nam in magna aquæ copia maceretur aut senna aut rheum.

§. 571.

In iis defluxionibus, quæ repente & affatim in faciem incidunt, præsertim si fauces appetant, vide, ut quam primum emissarium in os ipsum moliaris, alias repente suffocationis metus ingruit. Griffonis uxor satis aperte id declaravit.

§. 572.

Ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, dejectiones inspice. Si similes sanis, tutum est corpus alere; ita *Hippocrates*. Item alibi ait: impetigines & lepræ, & vitiligines, quibus quidem pueris, aut juvenibus quidpiam horum fuerit, aut paulatim conspectum in multo tempore augescit, his non putare oportet tale εξανθημα, id est, talem eruptionem esse *abscessum* (græcis αποςασιν) sed morbum. Quibus vero horum quid factum fuerit

fuerit multum & derepente, hoc ſane fuerit *abſceſſus*, ita *Hippocrates.* Affectiones cutis triplicis generis eſſe ait *Ballonius*; vel *abſceſſum*, vel *morbum* vel denique *tertium quid*, ubi ſcilicet illæſis purisque partibus internis, pars ſola externa afficitur, inque ſe ipſa materiam morbi excoquit.

§. 573.

Pulſus intercalaris ſenioribus frequens eſt, uti & inæqualis. Hæc inæqualitas & intermiſſio ſæpe eſt a plenitudine. Eadem inæqualitas in pueris dormientibus, & iis, quibus pulmonum leves arteriolæ obſtructæ ſunt, ſæpe obſervata eſt, & tamen periculum abfuit.

§. 574.

Vidit *Ballonius* mulierem gravidam in dentium dolore gravi cineres calidos, donec ſtigma notaque inureretur, temporibus adſperſiſſe: hinc dolores ceſſarunt. (*Veſicans ad tempora commodius foret. Stoll.*)

§. 575.

Cum quidam ob flatus melancholicos & ſanguinis calorem ſæpe dolores ſentiret maximos in ventre, ſtatim ſe adjutum phlebo-

botomia asseveravit, secundum illum *Hippocratis* ανεμην φλεβοτομια λυει.

§. 576.

Hippocrates ait sect. 6. libr. 6. epid. quibus sanguis multus ex naribus fluit, si decoloratio mera sit, id non prodest, rubicundis prodest.

§. 577.

Dum quis cum scabioso concumbit, & cutis inficitur, malum hoc vere cutaneum est, & superficiaria curatio esse debet. Sed cum ab imo corpore erumpunt tubercula, aut aliquid consimile, mali contagionem subesse in partibus internis fit verisimile.

§. 578.

Diligenter est observandum, major enim est pars & pleuritidum & dolorum capitis, tam a congestione cujusdam excrementi in pulmonem & thoracem, tum ob recursum tenuioris humoris per orgasmum a ventre inferiore, quam a capite & partibus superioribus; quod diligenter videndum, quoniam plerique non audent purgare & solvere ventrem: at sæpe hæc plus confert, quam phlebotomia: imo tunc sectionis venæ locus non est, nisi forte semel

mel id fiat. Ita *Ballonius*; talem autem pleuritidem hyeme grassari, ait idem auctor.

§. 579.

Cum dolores vagabunde tenent nothas costas & continuatione membranarum attingunt aliquando mammas & partes sterni anteriores, caute videre oportet, an propter ventris inferioris cacochymiam, a qua propter vapores elatos dolores surgunt, sensio adsit doloris, an causa ipsa a partibus superioribus pendeat, an vero in thorace ipso sit. — — — Quis enim nescit, si dolor iste agnoscat causam in ventre inferiore, non modo non prodesse phlebotomiam, sed etiam nocere.

§. 580.

Sanguinem cum crusta phlogistica veteres dixere sanguinem *biliosum*, *pituitosum*, *ωμον αἱμα*. *Stoll.*

§. 581.

Sedulo examinandæ sunt causæ procatarcticæ in morbis. Sic etiam *Hippocrates* meminit crapulæ, apricationis in sole, potus vini meracioris, laborum, lassitudinis, & in diæta των οξεων &c.

§. 582.

Horror fere ſemper prodromus eſt pleuritidis.

§. 583.

Auſtri auditum hebetant, caliginoſi, capiti graves &c. *Hipp.*

§. 584.

In conſtitutione auſtrina verna menſe Aprili & Majo anni 1575. id contigit videre, quod ab *Hippocrate* part. 10. l. 1. ep. ſect. 1. ſcriptum eſt: *tubercula multis ſecundum aures, febre carebant. Nonnullis parum accendebantur, ſed omnibus ſunt extincta citra incommodum. Nemini ſuppurarunt. Erant laxa, magna, diffuſa, citra phlegmonem. Accidebant hæc adoleſcentibus, adultis præter ceteros, luctatoribus & athletis, mulieribus vero parum.*

§. 585.

Victus ratio, ut homo minime pingueſcat, eſſe debet, quam præſcribit *Hippocrates*, dum ſuadet, ut talis *maza & lucta uteretur*, id eſt, ut laboraret plurimum, & cibis minime ſatietur.

§. 586.

Mulieres, quibus menſes ſupprimuntur, de dolore, quem vocant, ſtomachi querun-

queruntur, dicuntque habere sie manifestum cujusdam ponderis ibi incumbentis sensum.

§. 587.

In constitutione æstiva anni 1575. tempus autumnale referente ob suam intemperiem, erant diuturni dolores capitis; sine febre videbantur, attamen cum oris siccitate, oculorum rubedine, pulsu in temporibus manifesto, sensu punctionis & lancinationis. Medicorum opera in horum dolorum curatione ludebatur. Deduxit eos *Ballonius* a sero bilioso, cum pituitoso; non est, ait ipse, exquisita inflammatio, alias enim esset phrenitis, & magna febris insequeretur. Ponit quæstionem *Ballonius*, an non in ejusmodi doloribus capitis prodesset embroche ex oxychodino cum repercutientibus.

§. 588.

Hippocrates ait, autumno *rigere Splenes*, duo intelligens, vel *tumorem & efflorescentiam* splenis, dicit enim σπληνοθαλιειν vel dolorem hypochondrii sinistri. Tempore hoc æstivo admodum inconstante multis sacri ignes, & in faciem herpetes, in tibias, in inguina derepente humores te-

nues

nues, non tam quantitate quam qualitate moleſti multis eruperunt.

§. 589.

Hippocrates ait, *ſalſæ guſtatui carnes, ſuperfluæ materiæ ſignum.* Id eſt, ſi ſalſedinis guſtus ſit, in ore, materiæ ſuperfluæ & excretionem molientis eſt argumentum.

§. 590.

Lingua redundantis cujusdam in corpore humoris indicium dat. *Hippocr.* ait: *lingua lotium* indicat. Linguæ obſervatio in febribus multum valet.

§. 591.

Lingua humore quodam præternaturali *obducta* purgationem evacuationemque poſtulat. Id *Hippocrates* ſignificavit, dum ait: *Linguæ virides, bilioſæ* materiam redundantem ſignificant. *Aridæ a fuliginoſa exuſtione. Lentor circa dentes fortes febres ſignificat.* Ait enim *Hippocrates*: *quibus in febribus circa dentes lentores quidam ſunt, iis fortes febres fiunt.*

§. 592.

Febres ſunt *venoſæ*, aliæ *gaſtricæ*

§. 593.

In hæmicrania ſæpius redeunte una cum catarrho in fauces vel & pulmones, copio-

copioſa ſaliva in os recurrente; item in fluxione ad oculos, quæ ſubinde ægrotum afflixit loco hemicraniæ, præcipue, ſi nimiæ curæ, vigiliæ &c. præceſſerint, ſvaſit, ſyrupum de cichoreo cum rheo, abſtinentiam a purgantibus, pilulas ſtomachicas, non tam ventriculi repurgandi, quam ejus confirmandi gratia. Conferent, ait, pilulæ ex aloë initio paſtus, niſi hæmorrhoidum fluxui ſis obnoxius.

§. 594.

Primus noſtra memoria *Fernelius* obſervavit, ait *Ballonius*, ſæpe numero cruciatus obſervavi, qui quadam ſimilitudine & vehementia colici nuncupantur, quibus tamen non in colo inteſtino ſedes eſt, ſed vel in peritonæo, vel in membranis, quæ abdomini, ventrisque partibus obtenduntur; non clyſteribus, non medicamentis leniuntur; eorum materia aut flatus eſt, aut acer æruginoſus humor, qui cum diu reſtagnans in viſceribus reſtitiſſet, tandem inuſitatam viam in abdominis ſpatium, aut in peritonæum ſibi patefacit: & hæc in diuturnis febribus contingunt &c. (In annotatione ad hoc conſilium ait *Ballonius*: in aliorum ſcriptis hoc non inveni.) *Fernelius*

vocat

vocat dolorem colicum non legitimum: dolor non est erraticus, sed in imo ventre fixus manet, & intolerabilis est, fotibus paulum quiescit, sed multo sævior repullulat. Imo *Fernelius* ait, eum dolorem aliquando tertianarum febrium (quibus aliquando succedit) modo repetere ac exacerbari — — nihilominus, subjungit *Ballonius*, *Hippocrates* aliquid simile in coacis videtur observasse, ait enim: dolores ex lumbis diuturniores; qui febre exacerbantur τριταιοειγενεας (in modum tertianæ febris, vel similiter tertianæ febri) grumosum sanguinem egerere faciunt. — — In ejusmodi ægris *Ballonius* observavit, dolorem crudelissimum esse, & tumores quosdam nonnullis apparere. — — *Joannes Fernelius* in talibus balnea usurpabat, viribus nondum lapsis: ac in balneo ipso medicamentum purgans propinabat: quod dum agere incipiebat, educi jubebat ægrum e balneo. — — De ejusmodi doloribus videtur agere aphorismus coacar animadversionum *quibus doloris hypochondriorum, oris ventriculi, hepatis, partium, circa umbilicum; hi sanguine per inferiora excreto moriuntur, quia metus est inflammationis.*

§. 595.

§. 595.

Videtur esse colica spasmodica spasmo excitato vel ab hæmorrhoidis internis vel a plethora abdomminalium viscerum absque varicibus, vel ab acribus contentis, præsupposita nimia fibrarum in abdomine irritabilitate. Huc pertinet colica P. Ign. Capucini, vid. ejus historiam morbi. Stoll.)

§. 596.

Puella alvi profluvio, febri, respiratione anhelosa, vomitione frequenti laborabat, priori hyeme magna in pulmones destillatione vexabatur. Dabatur infusum rhei, inde vermis mortuus excretus. Illitus totus thorax oleo violaceo & butyro recenti, sedatus vomitus. Datum rheum: omnia meliora. (*Infarctus pulmonum pituitosus a primis viis onere pituitoso gravatis traductus. Stoll.*)

§. 597.

Puellus coelo æstuante circa mensem Martium cæpit febricitare: diaria erat febris in speciem hecticæ degenerans. Alvus liquida, cineritia, putris, paucis post diebus alvus restitit. Secta vena, sed frustra. Urinæ croceæ, turbatæ. Facies collapsa, sita macies totius corporis. Genarum per in-

intervalla rubor; a paſtu frigus extremorum. Cutis arida, ſcabra. Marcor. Facies Hippocratica. — — Fomes in pulmonibus eſt & in imo ventre — pulmo & meſenterium focus videtur — — — itaque blandiſſime per intervalla corpus repurgandum; litus corporis totius, præcipue vero ad thoracem. Syrupus reſumtivus: auræ refrigeratio, frigidæ potus; aqua roſarum & violarum, maſſipanes, panis infricatus in jure gallinarum & caponum, lac aſininum poſtmodum jure & loco præſcribatur. (*In priori casu pulmo potiſſimum, in hoc autem præter pulmonem totum ſyſtema vasorum pituita gravatum, infarctumque fuit; malum vero ex mesenterio traductum videtur. Stoll*)

§. 598.

Conſilio octavo narrat *Ballonius* fluxionem bilioſam in ſcapula & brachio cum capitis dolore, per aliquot annos affligentem. Suaſit *Ballonius* frequentes purgationes ex caſſia cum rheo per æſtatem; vere & autumno ſectionem baſilicæ, hyeme vero luna ſilente purgantes pilulas ex agarico. In adnotatione ad hoc conſilium ait: *Aëtium* cap. 28. ſerm. 4. Tetrabil. β de ejus-

ejusmodi articularibus morbis biliosis docte differere. (*De fluxionibus biliosis post morbos biliosos male curatos ortis, vide, quæ ad annum* 1775 *adnotavi in morbis autumnalibus. Stoll.*

§. 599.

Hippocrates l. 2. Prorrh. scribit: hæmopty sin non afferre periculum, in iis, in quibus dolores melancholici excitantur in dorso & sterno. Quod etiam *Ballonius* annotavit, & ego quoque aliquoties vidi.

§. 600.

Ballonius ait, a latente obstructione mesenterii nasci febres non *hecticas quidem per empyreuma* & phlogosin, sed *putres hecticas.* (*febris per empyreuma videtur esse illa continua phlogistica diathesis, quæ e. g. datur in sanguisputis. Putris hectica est ille morbus, de quo consilio septimo exemplum referebatur. Stoll.*)

§. 601.

Hippocrates in coacis animadvertit, quemdam dolorem lateris cum hypochondrii meteorismo & difficultate spirandi. Sed vocat eum dolorem, lateris dolorem sine signis, scilicet non pleuriticum.

§. 602.

Quidam in febrim incidit autumno, quo febres vagabant incertæ, ſine typo, modo cum rigore, modo ſine eo. Erat febris erratica, pariter in acceſſionibus erat pulſus parvus, febri non analogus, coma, aphonia, nulla re excitatur homo, macer alias. Secta vena, ſed fruſtra, erat & ςεγλος & metus ſuffocationis. Repurgatus ſæpe eſt — neque huic ſolum viro ea ſymptomata ingruebant, ſed fere omnibus, qui toto illo tempore in febres inciderunt. In quibusdam erat tempore acceſſionis periculum ſuffocationis; aliis acceſſionis initio præfrigidi ſudores; aliis, quibus ex longis intervallis tantum tuſſicula erat infeſta, ingruente acceſſione, tuſſis vehemens; mulieri ſexagenariæ toto tempore acceſſionis leipothymiæ, comatoſum, quid, dolores permoleſti, querimoniæ — plerique interierunt — — febris augebatur, per modum continuæ perſeverans, interiit etiam iſte decimo ſeptimo die. *Conſil.* xviii.

§. 603.

Ballonius ait: quicunque ſtirpe tabida ſati ſunt, eos fere omnes tabes attingit — — item

— item, eodem anno liberi pereunt tâbidi, quo alteruter eorum parens interiit.

§. 604.

Flores & germina ſalicis catarrhoſis præſcribuntur, deſiccant impenſe, & ſine morſu. Remedium hoc laudat *Dioscorides* libro I. ſuorum ſimplicium.

§. 605.

Ballonius ait, febrim hæmitritæam, continuam eſſe, & affecti ventriculi argumenta prodere. *Videtur pertinere ad bilioſas. Stoll.*

§. 606.

Hippocrates l. 3. de morbis ait: Omnis hydrops difficilis curatu, præſertim ſi corpore attenuato veniat, & ubi alvus fluit, moritur cito. Item l. περὶ παθῶν ait, morbum omnem alteri ſuccedentem ſuneſtum eſſe fere.

§. 607.

Puer annorum quatuor febre continua corripitur. Veſperi exacerbationes, catarrhus, tuſſis ſicca, inanis. Spiritus difficilis. Frequentes vomitiones. Alvus albicans, deinde ſubſtitit. Urinæ tenues, crudæ, decolores. Medicamentulo alvus ſollicitata reddidit multa bilioſa. Tuſſis perſeverat.

Dolores ad hypochondrium ſiniſtrum, ſed vagi, nec eodem modo perſeverantes, deinde ſiniſtram lateris partem occupabant. Alvus ſoluta eſt, viridia excreta, chyloſa: ſitis non explenda. Aliquando animus paulum deficiebat. Fugax genarum rubor, isque magnus.

§. 608.

Quaeritur, an ſit inflammatio pulmonis ſive ea ſit *phlegmonodes*, ſive *eryſipelalados*? An in peripneumonia ſint *vomitiones, defectus animi, tuſſis ſicca, alvi fluores*, ac ſi per ſe primoque alvus inferior laboraret, *fugax genarum rubor, tuſſis inextinguibilis, febris non ita magna, ſed per intervalla ferociens*. Vidit *Ballonius* in alio quopiam, cui pulmo inflammatus erat, defectiones animi & frequentes vomitiones. Vomitiones frequentes, dejectiones frequentes; ingens admodum ſitis & opinione major in inflammatione pulmonis ſolet apparere. Dolor ſterni, vomitiones, tuſſis ſicca, deliquium animi ſunt ſigna pulmonis eryſipelate tentati. *Ballonius* ait, in eryſipelatoſa affectione e. g. pulmonis febrim non eodem perpetuo tenore affligere, ac ſævire. Debuerat mitti ſanguis. In cadavere pulmo

mo partim inflammatus, partim lividus. Destillatio, tussis sicca, febris non ita ad manum mordax, rubor genarum, dolor sterni (quod notandum), virium dejectio, sitis ingens, perceptio summa caloris in pectore, certam dant inflammati pulmonis diagnosin! Incautis medicis, cum cibum appeteret & biberet avidissime, mortuus est die 20. morbi. (Sæpius vidi in veris peripneumoniis pulmonum *atroces convulsiones, vomitus*, *strepitum*, *sibilumque* in pectore.) In somno convulsivum quid, oculos inter dormiendum semiapertos; in somno loquentes. Secta vena habuit sanguinem phlogisticum. Signum peripneumoniæ *Hippocrates* in coacis dixit *ευχροαν*, id est genarum ruborem.

§. 609.

Ballonius observavit in peripneumonia *deliquium animi*, *præcipitem virium lapsum*, & *sudores subfrigidos*. *Hippocrates* differens de quibusdam, quibus totus pulmo cum corde inflammatur, & aliis, quibus cor non inflammatur, asserit, illos, *resolvi*, quibus cum corde pulmo inflammatur.

§. 610.

§. 610.

Ballonius de homine ſcribit, cui teſticulus neuter in ſcroto erat: ſed uterque intus concluſus erat: unus quidem apparebat tactui ſoli & circa pectinem locatus erat: alter deliteſcebat plane.

§. 611.

Miratus ſum, ait *Baglivius*, ægras ſæpe conqueri de dolore ad orificium ſtomachi, cujus doloris circumſcriptio brevis admodum eſt, nec explet latitudinem duorum digitorum. Purgationibus non juvantur multum: vomituriunt: pulſum habent languidum: corpus pigrum ac iners. Noctes inſomnes ducunt; ventre plurimum ſunt adſtricto, imo præ dolore ſuperior pars hiat, inferior adſtringitur. — — Ita piſcator quidam poſt ærumnas aliquot & labores incidit in febrim typi expertem: ſæpe leipothymia: 4to pene die laboravit. Summa virium ruina, partium extimarum refrigeratio: hinc alvus ſubducta eſt, excrementis modo liquidis, modo chyloſis, modo mucoſis, incredibile dictu. Tribus aut quatuor diebus tres & quinque pelves ſatis capaces implevit, non allevabatur; perpetuo alvus, ſive ventriculus es laborabat. — —

Modo

Modo roborato ventriculo, modo uſu rhabarbari allevabatur. Pallor, ſitis, partium imbecillitas, dejectus appetitus, dolor ad regionem ſtomachi, quem antea diximus, etſi munia ſua conſueta obiret. — — — Tandem vomitu provocato excreta ſunt viridia, bilioſa, glutinoſa admodum; ſic allevatus eſt. — — Ubi tanta copia materiæ latebat? an in ventriculo. Certe non, ſed in partibus vicinis (dolor ventriculi a ſaburra bilioſa, purgantibus parum proficientibus, juvit vomitus. Ejusdem ſaburræ ſigna Conſil. XXXIV.)

§. 612.

In Roberto Sangermanno dolor incredibilis, quaſi colicus, poſt ærumnas & triſtitiam. Dolores ex intervallis repetentes. Vomuit perpetuo. Calida medicamenta non profuere. Educta eſt emetico lenis materia bilioſa vitellina, putris. Allevatus eſt, & ſanitati reſtitutus. — — *Fernelius* tale quid fieri obſervavit ſub finem febrium & morborum typicorum.

§. 613.

Vidua ob mariti mortem in triſtitiam incidit, inde in morbum mirabilem: febris enim erat expers: ex intervallis ſentiebat

quandam auram venenatam ab infimis partibus tibiarum, deinde ſtuporem, deinde dolores ad ventrem ſuperiorem a ventriculi regione fere ad umbilicum, paulum ad lienem declinando, tunc ſine voce & reſpiratione decumbebat, cum ſudoribus, defectione pulſus, palpitatione, duodecim horas paroxysmus durabat. Morbus hic annum & plus eam afflixit. A paroxysmo erat ſatis alacris, ſapor & guſtus toto morbo aderat, quaſi æruginem & æs deguſtaret. (quod notandum) Oculatior medicus dicebat ſuſpicionem melancholiæ hypochondriacæ, aut concluſam putrem, malignam & venenatam materiam in hypochondriis & partibus vicinis ventriculo, quæ *non ita cito, ſed tempore* vomitione excludenda foret, nec aliter contigit; nam cum &c. diuturnitas tæderet omnes, recreatis viribus mane clyſter acer injectus eſt, tribus poſt horis caſſia data. Natura irritata ſurſum deorſum excrevit, ſurſum quidem æruginoſam, pallidam, ac varii coloris bilem, & mixtos alios humores adeo, inſigniter corruptos & fœtentes, ut nemo odorem ferret, imo locus totus inquinatus eſt; allevata eſt, fluor alvi decem continuis diebus perſeveravit. Ac pleros-

plerosque alios pari modo affectos vidimus, præſertim de orificio ventriculi conquerentes —— In ejusmodi morbis duo præcipue præſtanda videntur, ut *leniter & blande* cum ægris agamus, & *per intervalla tantum.* (Morbus hypochondriacus ſive hyſtericus erat, ſtimulo in primis viis hærente, eoque bilioſo. Viden denuo mœroris effectus. *Stoll*)

§. 614.

Conſilio XXXVIII. *Ballonius* ait: Multi melancholiæ hypochondriacæ meminerunt, & hujus morbi nomen crebro uſurpatum, ſed quid proprie ſignificet, quis locus affectus, cur ita appelletur, cum non ſit neceſſe melancholicum humorem in vitio eſſe, an intemperies ſola ſit, an morbus in confirmatione, nondum ſatis definitum eſt. (*Nota*, 1) *agnovit Ballonius morbum hyaochondriacum absque humore melancholico.* 2) *dubitat, an non ſit vitium in ſolidis.* Stoll.)

§. 615.

Diocles 3 locor. affector. deſcribit morbum hypochondriacum, aitque ſedem in ventriculo eſſe. (*eam morbi hypochondriaci ſpeciem deſcribit, cujus cauſſa excitans*

est in ventriculo acria &c. continente. Idem sentit etiam Galenus. Stoll.)

§. 616.

Noverat & *Galenus* & *Ballonius* aliam speciem morbi hypochondriaci, quam *Galenus* vocat *melancholicam cerebri passionem*, *Ballonius* vero *melancholiam* cerebralem, quae cerebrum scilicet primo & per se occupat. De hac specie *Galenus* ait: *fit melancholica cerebri passio, affecto prius calidis dispositionibus cerebro, aut aestuatione, aut phlegmonosa passione, aut phrenitide, interdum a sollicitudine, maestitia cum vigiliis.* In melancholia cerebrali *Galenus* & *Ballonius* mali sedem in cerebro statuerunt.

§. 617.

Ballonius ait: qui sunt corpore squallido, macro, sicco, pulsu satis infirmo, aut qui praerubri sunt ἐξέρυθροι graeci vocant (de quibus etiam *Galenus* 3 locor. affector.) ii melancholiae hypochondriacae sunt obnoxii: item qui curis, aegritudinibus, perturbationibusque animi concutiuntur, qui generosis vinis sese dediderunt, eos in melancholiam hypochondriacam, praecipites ruere testatum satis est — — Inde hypochon-

pochondriorum æſtus, inæqualitas, in calore & frigore, vincente victoque calore, & materia ſuperante calorem & ab eodem ſuperata. *In melancholia cerebrali videtur illam morbi ſpeciem deſcribere, ubi omnibus rite ſe habentibus præſuppoſita nimia fibrarum irritabilitate, cauſſa excitans ſive ſtimulus admodum ſpiritualis eſt.* Stoll.

§. 618.

In melancholia hypochondriaca unum quoque obſervandum eſt, ne ſimilitudinis errore decipiamur, nimirum quod in thorace dolores ſentiuntur, ac ſi pleuritidis argumenta aliqua forent. Et ignari medici male confugiunt pleuritidi, quum dolor iſte per hypochondrii ſympathiam oriatur. Ita *Ballonius* in annotat. ad conſ. XXXVIII.

§. 619.

In omnibus illis morbis, qui partes illas obſident, quæ nutritioni dicatæ ſunt, præcipuum curationis momentum in optima victus ratione conſiſtit.

§. 620.

Galenus ait in Comment. in pract. quam dam 2. prorrhet. *neque ventre aut hepate, aut ſepto inflammato febris maligna*

na est, forsan acuta est, sed ne hoc quidem *perpetuum est (ergo morbi inflammatorii per se maligni non debent appellari, præterea possunt dari internæ inflammationes topicæ absque febre universali. Talis interna topica inflammatio in suppurationem abiens, subinde mortem afferre potest. Sic si modica particula pulmonis inflammetur e. g.* tuberculum pulmonale, ex *citata suppuratione phthisis & inde mors oriri potest. Tales phthises oriundæ frequentes sunt, cum nulla febris adsit, aut exigua, quæ topicam pulmonis inflammationem manifestet. Sic modicus catarrhus male curatus sæpe in phthisin abit. Huc ea pertinent, quæ Baglivius annotavit de latenti pleuritide & peripneumonia.* Stoll.)

§. 621.

Primipara sub ipsis doloribus octies aut sexies convellitur, ac paroxysmum epilepticum patitur; edito autem fœtu, bis aut ter. Putat *Ballonius*, convulsiones has provenisse a *plethora*, *usu vini Hippocratici* tempore graviditatis, *suppressione* alvi quinque aut sex dierum ante partum, *enixu quoque ipso*, *accedit*, *quod primipara fuerit*. Subjecto acriusculo enemate ex hiera substi-

ſtiterunt convulſiones. Largus ſanguinis fluxus per ſinum pudoris. Poſtridie partus propinatum medicamentum. Dejectiones multæ. Qieverunt omnia. Purgans erat leniſſimum, ſimul lubricans, emolliens.

§. 622.

In confeſſo eſt, ait *Ballonius*, quod ſcriptum ab *Hippocrate*, a ſanguine in mammis collecto furorem oriri, præſertim ſi ſanguis ille in lac non vertitur aut propter *abundantiam nimiam*, aut *propter fervorem*, quod diligenter adnotandum — — itaque providendum, ut alvus libera ſemper ſit, raptus ſanguinis ad mammas cohibeatur — — videndumque, ut purgationes a partu citentur ſemper (*purgationes autem haſce* citat gramine, aſparago, *paſſulis &c. & fotu aquæ tepide. Clysmata*, & *purgantia* rhabarbarina pariter huc faciunt *Stoll.*)

§. 623.

Puls ex amygdalis contuſis & hordeo contuſo, facit ad ſordes corporis abſtergendas.

§. 624.

Quædam mulieres epilepticæ fiunt tempore graviditatis, a partu autem ſanæ ſunt. Quædam fæmina hæmicrania laborabat extra

tra graviditatem. Gravida autem ab eadem immunis erat. *Hippocrates* 5. epidem. obſervavit de muliere, cui caput circumdolebat, nec allevabatur, niſi quum uterum gereret.

§. 625.

Fœmina a primis fere unguibus fœdo anhelitu laborabat, ac procul jam fœtebat. Palatum, gingivæ, faucesque ipſæ livoſæ cœnoſoque humore tanquam uligine quadam erant oblitæ, & cum is humor aut mucor potius deterſus eſſet, dicto citius alius aderat &c. Dubitatum de ſede mali, ſi fœtor hic a ventriculo eſt per depravationem alimenti, aſſumpto cibo ceſſaret, vacuo autem ventriculo rediret. *Gordonius* adnotavit, oris fœtorem a pectore nunquam curabilem eſſe.

§. 626.

Idem auctor communem quandam fœtoris oris cauſſam memorat, *humorem phlegmaticum*, quod in hac quoque muliere fuiſſe credibile eſt, cum totum os, faucesque hoc humore tetro plenæ fuerint. *Ballonius* obſervavit in auriga, cujus ex ore fœtor incredibilis totam domum inficiebat, & cadaveroſum olebat: unde non ita longe

ge post fato concessit, siderato toto pectore.

§. 627.

Ballonius ait consilio XLV. In plerisque observabamus initio morbi totam corporis cutim maculis rubris suffusam, quibus tamen nil præterea alienum contigit. Sæpe enim aut sanguinis æstus aut cum fervore quodam juncta malitia aliquid tale promittit. Sal illud nihil periculi junctum habet, sola aut sectione venæ, aut blando cathartico, quidquid est, prævertitur. (*Hinc caussa exanthematum videtur esse aut in orgasmo sanguinis, ubi venæ sectio, aut in saburra primarum viarum ubi catharticum valet.* Stoll.)

§. 628.

De virium dejectione subita Ballonius ibidem ita scribit: quoties vires non constant, nulla præsertim *præunte evacuatione* manifesta aut *simili aliqua re*, *quæ* jacturam virium faciat, aut cum *febris vehemens* non adest, malum illud est ut signum (*ergo malignitas morbi tunc erit æstimanda ex subita virium jactura, si hæc nec a manifesta evacuatione præeunte, nec a febris vehementia, nec a simili quadam re jacturam virium afferre solita proveniat.* Pleuritis

vehe-

vehemens *summam virium subitamque jacturam facit, quin morbus propterea malignus vocari debeat. Nam ratio debilitatis est in vehementia febris & inflammationis.* Stoll:

§. 629.

Ait *Ballonius*: sæpe & optimus color & character (faciei) in ægris apparet, cum tamen morbus ad interitum tendat, tribus ex causis.

§. 630.

1) Ratione ipsius febris, quæ fallacem aliquam faciei viriditatem subinde affert.

2) Si febris ea non sit ingens, aut συνεκτικη.

3) Si qui ægrotat, pulmonum vitio sit obnoxius: qui enim ita affecti sunt, sæpe rubro suffunduntur, quod medicis minime advertentibus imponit maxime.

§. 631.

Ballonius sæpe observavit, eos aut extreme laborare aut interire, quibus acris caloris & ejusdem temperati ex intervallis vicissitudo est; nec enim solum vicissitudo caloris & frigoris mala est, uti voluit *Hippocrates* — — — quosdam videmus interire cum perfrigeratione partium & sudore frigido, ut contingit siccis & extenuatis

tis, alios vero cum loco febris tempore non ſudaverint, aut leviter tantum, ſine ulla perfrigeratione, cum univerſali ſudore, multo, calido occidere — — — Atque ita, non opinantibus medicis, multi moriuntur.

§. 632.

Letargus a pulmone affecto.

§. 633.

Verum illud comperit *Ballonius*, qui a levi ſudore ſomni ſunt expertes, & rurſum ardore febrili conflagrant, malum; nam qui bene judicantur, ſuaviter dormiunt.

§. 634.

Hippocrates obſervavit meteoriſmum, hypochondriorum & alvo ſuppreſſa & alvo ſubducta: utrumque malum.

§. 635.

Caloris revocatio & abſentia, febris exacerbatio & ſine cauſſa manifeſta remiſſio ſolet eſſe frequens in febre tertianam referente continua ſive τριταιοφυεις. Galenus ait, febres has diebus decretoriis deteriores fieri.

§. 636.

Hippocrates in coacis ait: qui circum articulos rubicundas in ſuperficie puſtulas

habent, insuperque rigent, hi circa ventrem rubesiunt & inguina, velut ex plagis dolorosis, & moriuntur. (*videtur hic vibices petechiales describere sed, quid sunt papulæ circa articulos?* Stoll.)

§. 637.

Vidit *Ballonius* mulieres aliquot & viros, quibus familiaris renum dolor est, gravis & pungens; qui sæpe conqueruntur de dolore lateris, ac si pleuritis aliqua nothas costas occuparet, cum tamen nil sit tale.

§. 638.

Galenus ait: *Lac, ubi cruditatem in ventre patitur, in frigidiori acescit, in calidiori amarum, nidorosum efficitur.* Item *Hippocrates* asserit: *Malum lac in acutis febribus, & quibus biliosæ sunt dejectiones.*

§. 639.

Ballonius ait: & observavi, quod affirmare ausim, in fluoribus pessimis alvi, asininum lac præscribi; repressa humorum malignitate, lactis bonitate alvus magno commodo substitit. Aliis, quibus alvus adstricta, leve profluvium usu lactis contigit; & profuit. (*qæritur, in quibus alvi profluviis lac prosit? 2, quibusnam alvum molliet? credo iis, qui intestinis resiccatis, fi-*

brisque

brisque adstrictis donati sunt, his enim pars butyracea alvum modicam reddit. Subinde hydrogala præ lacte conveniet, aut lac cum melle mistum. Stoll.)

§. 640.

Galenus, 3. de alimentis ait: lac asinæ raro in ventriculo cogitur; quod si lac & mel addatur, non fieri potest, ut ipsum in ventriculo coaguletur. (modus adhibendi lac cum thee & melle plurimum arridet, coagulum autem præpeditur & sapidius addito sale redditur. (*Lac saccharatum adjecto sale* æque convenit. *Stoll.)*

§. 641.

Experientia confirmatum est, ait *Ballonius* Conf. L. quosdam, quibus dysentericæ & mesentericæ erant dejectiones, diu fatigantes, non aliena arte cessavisse, quam diuturno lactis usu. Et *Hippocrates* l. 2. de morbis mulierum in fluore muliebri bilioso lac commendat; quia, ait, fluxus a lacte obtunditur: quod idem de dejectionibus dici potest. Filio Crotolai 7. epidem. circa initium libri, lac per os dat in vehementi dysenteria.

§. 642.

Celsus cap. 22. l. 3. ait, in phthisi ſicut in omnibus longis, difficilibusque febribus, lac dare commodum eſt.

§. 643.

Quidam ægrotabat dolore nephritico acuto; vomitiones, urinæ plenaria ſuppreſſio. In cadavere tamen ſolus ren ſiniſter calculo obturatus inveniebatur.

§. 644.

Multi medici putabant, vitium in *utroque* rene hærere, aut in veſica ipſa, aut utrobique. Sed eos eventus fefellit.

§. 645.

Temperamento bilioſo præditus, emaciatus, habens calidam hepatis intemperiem, ventremque aduſtum, ſive *θερμοκοιλοσ*.

§. 646.

Galenus primus, ait *Ballonius*, fluorum alvi cauſſam unam agnoſcit quandam *σωματικην διαθεσιν* inteſtinorum, quæ inducitur, ſi inteſtina a valido medicamento lædantur, & imbecilliora reddantur, ut adeo humores eo facilius ruant.

§. 647.

§. 647.

Conſul pariſienſis hepatico profluvio bilioſo ſex annos vexatus, & nullis remediis allevatus eſt: eo mortuo inventus tantum hepatis loculus & membrana, illius parenchymate conſumpto & colliquefacto. (*Obſervat tamen Ballonius fluxus hepaticos rariſſime eſſe chronicos. Stoll.*)

§. 648.

Quidam veterum, cum perfecte confectum in ventriculo cremorem animadverterent, & talem fere dejici, nec a meſeraicis ſuctum devectumque, ut fieri ſolet, ejusmodi affectu laborantes *meſeraicos adpellant.* Etiam *Ballonius* vidit chyloſas dejectiones ſublatis multis, quæ meſaræon occupabant, obſtructionibus, tandem ceſſantes.

§. 649.

Quæcunque excretio ſanguinis per alvum fit (hæmorrhoidalem ſi exceperis) *dyſenterica* vulgo appellatur, præcipue cum dolor, ventrisque torſio aliqua percipiatur: quæ tamen cum ulcere eſt, proprie *dyſenteria* apellatur, naturaque ejus in ulcere poſita eſt. Ita enim eam proprie dyſenteriam vocari & ab *Hippocrate* & a ſuis *Galenus* autor eſt.

§. 650.

Si tenue & saniosum & recens mactatarum carnium loturæ simile evacuatur, id hepaticum est.

§. 651.

Calidas intemperies, ait *Ballonius*, nunquam comitatur ciborum appetitus, sed ingens cibi fastidium, febris, vitiosorum humorum vomitus — — in intemperie frigida non dejicitur appetitus, sed potius augetur desiderium cibi. *Hippocrat.* de diæt. acut. ait: *dysenteria*, quæ cessavit, abscessum, vel tuberculum aliquod faciet, nisi vel in febres vel in sudores desierit. Item in coacis: *dysenteria intempestive suppressa* abscessum in costis, aut visceribus, aut articulis facit.

§. 652.

Mutilis ob copiam sanguinis fit excretio ejusdem per alvum.

§. 653.

Constitutio aquilonia impense frigida sævierat. Morbi multi, præsertim febres, cum magna perfrigeratione; calescendi frigescendique erat vicissitudo & crudor quidam, ut *Aristoteles*, problematon nono & decimo problemate annotavit. Ille autem

cru-

crudor, græcis σφακελοσ, maxime ob frigidam, ſiccam aquiloniamque conſtitutionem ſolet contingere. Pleuritides graſſatæ ſunt, peripneumoniæ, pulmonumque variæ affectiones. Atque inter cætera tuſſes & raucedines, præſertim cum deſæviente hyeme, quæ in ſummo ſquallore & rigore frigoris coagalata fuerant, fundi, liquarique cœperunt. Ophthalmiæ multis ῥοώδεες, multis ξηφαι. Item deglutiendi difficultas, quædam cum febre, linguæ ſcabritie, & totius oris ſquallore quodam, juncta virium infirmitate. Nihil apparebat in faucibus, nec ſolemnis remediorum uſus quidquam valebat. Sine tuſſi, ſine excreatione, oris ſiccitas. Languent admodum ægri per 20 & 30 dies. Dolor occultus & latens colli, muſculorumque omnium, qui ad humeros usque protenduntur. Color faucium non alienus a naturali. Sitis nulla, oculorum quædam cavitas, fuliginoſus ſpiritus arcens atque æſtuans, ac ſi in hecticam laberentur. *Cl. Magnus* morbum hunc vocavit *anginam* συντητικὴν, colliquativam anginam, & catarrhoſam colliquationem; nam partes omnes ad guttur, collum & fauces attinentes liquefieri quodammodo videntur: & in exi-

guis venis ichor tenuis contineri videtur, qui ſuperficiarium dolorem excitat. Omnium morborum hic difficillimus & ad cognoſcendum & ad curandum *Ballonio* viſus eſt. Conferent humectantia ex paſſulis, ficubus, glycyrrhiza, althea, oxymelle.

§. 654.

Hippocrates meminit part. 20. I. 3. prognos. cujusdam ſynanches, quæ ægrum in periculum non conjicit: non laborat guttur, ſed in fauces aut in cervicem, aut in utramque fluxio fit: maximaque ex parte cervix & pectus ruborem contrahunt. Nec dolent vehementer, nec difficulter ſpirant. Talis fluxio *ſacer ignis* ab *Hippocrate* vocatur, quod eryſipelatodes ſit. Item part. 17. l. 3. prognoſt meminit faucium exulceratarum in febribus.

§. 655.

Hippocrates ait in coacis: *in jam perniciofis morbis parvi tremores & vomitus æruginoſus, qui in potibus ſubſtrepunt, in ſiccis ſubmurmurant, & deglutiunt difficulter.* Illud murmur in ſiccis, juxta *Ballonium*, referri debet ad id, quod ſæpe adparet in delirantibus, in quibus laryngis muſculi ſiccati

cati ſunt, & non amplius motum facilem præſtent & obediant. Nam cum bibunt illi & delirant, pars aquæ, quæ deſcendit, quodammodo it præceps cum ſonitu, in vacuo & inani deſcendere videtur, obauditurque murmur circa præcordia, muſculis ſiccatis & inertibus.

§. 656.

ξηραν νοσημα ab *Hippocrate* vocatur quilibet morbus, in quo materies intus concluſa tenetur nec evacuatur. Sic ophthalmia ſicca, dum nihil reſudat; in cerebri affectibus, cum nec per nares, nec palatum; in affectibus abominis, cum nil per alvum excernitur.

§. 657.

Si materia excernenda ſupprimatur, morbus *ſiccus* vocatur, cum autem excerni incipit, morbus dicitur *ὑγραινεσθαι*.

§. 658.

L. 4. de diæta acutorum invenimus *χολεραν ξηραν* ϗ *ὑγραν*. *Choleram humidam & ſiccam.* Videtur, ait *Ballonius*, ex ſententia *Galeni* cholera ſicca his naſci, qui cibos coctu difficiles ſumſere, tranſire nequeuntes, quibus adjecti ſunt acriores: & tunc flatulenta copia impedit, quo minus

quicquam excernatur. *Hippocrates* ait in epidem. ab arida cholera venter inflatur, ſtrepitus fiunt, dolor laterum & lumborum, nihilque alvus dejicit, ſed adſtringitur. Credo *choleram ſiccam ſieri e. g. ingeſta nimia quantitate rei ventriculum nimium diſtendentis, clauſis ſpaſtice & orificio ſuperiori ventriculi & ano. (Stoll.)* Cholera ſicca uſu balnei juvatur, ut patet ex l. 7. epid. de Pauſaniæ filia, quæ ex fungi crudi eſu incidit in choleram ſiccam. Hydromel valde ei contulit.

§. 659.

Hippocrates ait in coacis animadverſionibus: τα λειπυριχα και χολερας επιγινομενης ȣ λυεται.

§. 660.

Nulla eſt conſenſio inter Græcos & Arabes de leipyria febre, ait *Ballonius*, imo nec inter Græcos ipſos. καȣσȣ & febris leipyriæ magna eſt affinitas, iisdemque pene ſymptomatis morbus uterque ſe prodit: ſitis eſt ingens, jactitatio, mentis perculſio, vigiliarum aſſiduitas, partium extimarum refrigeratio. Sed præſertim in leipyria, æſtus in internis. *Galenus* vero ait comment. in aph. 48. *Partium extimarum refrige-*

frigeratio æstuantibus internis, solis accidit febribus, quæ καυσοι dicuntur, perniciosis, vel potius malignis, ut leipyriis.

§. 661.

(Nota 1) *leipyrias febres a Galeno ad καυσες referri, qua in re quidem non male habet.* Cum *Causus biliosus* idem *sit cum leipyria.*

§. 662.

a) *Causus hic biliosus uti est leipyria, inter febres perniciosas & malignas referri, quod quidem falsum est*, cum *per se periculosi non sint.* Stoll.)

§. 663.

Ballonius ait, in causo linguam scabram esse, in leipyria vero *nigram*, causam autem leipyriæ statuit idem autor, *διαθεσιν ερυσιπελατωδην ab humoris biliosi congestione*, vel bilem adustam in ventriculo erysipelatis modo æstuantem.

§. 664.

ῥες γυναικειος, sive fluor muliebris multas mulieres affligit, ex earumque numero albas, & quibus lævis admodum æqualis & jucunda visu superficies inest, & quæ delicatioris molliorisque sunt habitus, eosque in morbos proclivioris: sunt effœminatio-

natiores, aquosæque magis, quas *Hippocrates* l. de *diæta* *ὑδαταινώσας* vocat; fluxionibus sunt obnoxiæ, & partes principes aqueas, laxas, uliginosasque habent.

§. 665.

Sexagenaria per aliquot annos fluorem fœtentem, putremque passa, usurpato levi remedio eundem stitit. Inde successit diabetes funestus. Urina tota fere die plane aquea fluxit, nec natura eam sistere poterat. Macies, sitis inexplebilis, lingua arida, & pellucida præ siccitate. Spiritus fœtens & cadaverosus. Regio renalis semper perfrigida, quasi ab admota glacie, post quatuor menses mors. Putat *Ballonius* fluorem illum muliebrem a salsa partim, acidaque materia manavisse. Fontem catarrhi exhaurire oportuisset, diæta exsiccante, decocto sarsaparillæ, medicamentis purgantibus, venæ sectione.

§. 666.

Mulier quadrata, boni habitus & sana a a mensibus caret menstruis, gravida existimatur. Per mensem integrum sæpius questa est de dolore ventriculi. Exacto mense graviditatis secundo ad balnea sudatoria pergit. Tertio post die imus venter

ei

ei dolet. Dolor primo vagus, deinde ad partes paulo ſuperiores revolvitur, ſtomachumque quodam veluti pondere premi queritur. Dolor graviſſimus. Clysma carminans. Alvus licet irritata nil reddidit. Nox inſomnis. Mane clyſter acerrimus, ſed fruſtra. Die tertio (priores autem duos ορθοςαση transegit) frequentes ſyncopæ. Sudores ad claviculas. Mente conſtat. Datum cardiacum revomuit. Frequentes vomitiones. Frigus extremarum partium. Character faciei plane deletus. ασφυχια perfecta: deinde vermiculatus pulſus, hypochondria *ſatis æqualia*, ſed illa, & regio ventriculi *contrectata etiam blande dolebant* & ſyncopen inducebant. Neceſſario erat illi propendendum in dextrum latus, inclinato etiam capite; ſi aut ſupinam figuram retinere cogeretur, aut in ſiniſtrum latus devergere, animo deficiebatur & pene ſuffocabatur. Vomitiones perpetuæ. Alvus pertinaciter clauſa. Sitis ingens & inexplebilis. In ventriculi regione ſenſus quaſi ardentis carbonis. Inquies & jactitatio. Die tertia pommeridiana mors. Cadaver livens.

§. 667.

§. 667.

Equiſo quidam, cum ſero bene cœnaſſet, quarta matutina prehenditur febre acutiſſima, circa duodecimam meridanam totus imus venter inflatur, delirat, tertia pomeridiana pulſus parvus, & frequens, nigra dejiciuntur: ſero pectus dolet: Duodecima pulſus formicans, interiit tunc. Corpus totum intumeſcit, & neſcio quibus ſuſpectis maculis deturpatur.

§. 668.

Filius vitriarii percepit prima die dolorem exiguum ad latus dextrum, vomitiones aſſiduæ: die ſecundo dolores inferius ad ventriculum & cartilaginem xiphoidem, tertio die habuit ὀρθοστάδην, quarto die ſummus ad ventriculum dolor, inflatio, extremorum frigus, leipothymiæ, ſudor, mors.

§. 669.

Nota: in prima hiſtoria abdomen & hypochondria non tenſa, non tumida, ſed æqualia; attamen leviſſimum attactum non ferentia. In ſecunda hiſtoria malum ſtatim ad initium vehementiſſimum eſt, cum abdominis tumore. In tertia malum ad initium mite, demum atrox. Summa cautela opus erat in diagnoſi tertii morbi. Dolor exiguus,

guus, & quod ὀρθοςάδην *haberet, decipere medicum potuit. Dolor etiam inflammationibus abdominis ad initium & fugax & errabundus esse* poteſt. *Ballonius recensitis his tribus historiis dissuadet clysteres acres in colicis, adducitque Arnoldum Villanovanum clysteres blandos mitesque in ejusmodi doloribus suadentem. Idem Ballonius ait, morbum cœliacum Celsi convenire vix non cum historia morbi primi. De ejusmodi colicis doloribus ab inflammatione loquitur aphorismus 26. l. 7. in forti dolore ventris partium extremarum frigiditas, malum.* Stoll.

§. 670.

Quartam hiſtoriam refert *Ballonius*: Auriga quidam queritur primo die dolorem levem ad latus ſiniſtrum, qui ſtatim & pedetentim ad regionem lienis deſcendit, ac increvit: vomitiones frequentes: dolor ſtomachi ſecundo & tertio. Perſeverabant vomitiones rerum viridium æruginoſarum: dolor lateris non affligebat: in ventre inferiore vagos dolores percipiebat. Quarto de nocte omnia exacerbabantur; partes extimæ refrigeſcunt; cogimur præ

ſuffo-

ſuffocatione mittere ſanguinem, quod ita requireret æger; vomitiones tanquam lutoſi, nigrique humoris, ſyncope, mors.

§. 671.

Hippocrates narrat in prorrheticis duas eſſe diarrhœas, una cum febre, variis excrementis hepatis, inflammatione, aut præcordiorum, aut ventris, cum ciborum averſione: aliæ quidem ſunt ſine his ſignis, cum ramentis quidem & ſanguine, ſed breviores ſunt, & eas vocat λυσιτελεάς, fructuoſas, commodasque ægris, quod aut a diuturnis, aut brevibus morbis ægros aſſerant. De his poſterioribus loquens ait: *quæ uterum geſtant, ab hujusmodi dyſenteriis, & ad partum & ex partu evadunt, fœtus ſanos habent, etiam per multos menſes & ſanguine & ramentis excretis.* Putat *Ballonius* hanc dyſenteriam provenire a congerie excrementorum facta, quorum excretio & fœtum in melioris valetudinis bonam ſpem adducit.

§. 672.

De ſingultu & febre ſingultuoſa, ſive per ſe talis ſit, ſive in prolapſione inteſtinorum accedat, deque eorum curatione a-

bunde

bunde dictum est ab *Hollerio* in methodo medendi.

§. 673.

Ad ripam Sequanæ quidam cum menses quatuor febre quartana, erraticaque laborasset, emaciatus plane, squallidus cœpit tantisper desipere, delirare, crebro resurgere & inde cataphora, seu catalepsi prehensus interiit. Item *Rondeletius*, diligens rerum observator, annotavit; caron, cataphoram & catalepsin in febres quartanas longas, & tertianas incidere. Item filius Domini *Povart*, cum bimestri tertiana laborasset, nec ad medicamentum adduci potuisset, quum cœlum incanduisset paullum, datur medicamentum, cui indormiendum imprudens pharmacopæus consulit. Medicamentum inane fuit: movit, nil exclusit. Ab eo tempore vix febris expers: de dolore capitis, de quo prius non querebatur, modo conqueritur. Dum paroxysmus repetit, repente ἀφωνος fit, elatis in cerebrum vaporibus, imo & febre ipsa jam cerebrum occupante, unde caloris acerrimi sensus apparebat, ac si febris esset capitalis (ut sic loquar); per 24 horas ἀφωνος fere fuit & catochus eum prehenderat. Vir-

P tus

tus erat debilis, nil natura præſtitit, quamvis irritata: convulſus interiit. In cerebro nil deprehenſum: venæ intumuerant parum, vi febris interiit; obſeſſo cerebro quoque, ut interea non eſſet flabellatio cordis ob reſpirationem non liberam. (*Vide deliria, coma, carum, catalepſia &c. a bilioſa potius ſaburra in hypochondriis ſtabulante & reſorpta oriunda. Probe hæ affectiones capitis diſtingui debent, ab aliis ejusdem affectionibus; illas bilioſas, has vere inflammatorias potius appellare convenit; illis purgans, ſolvens, vomitum ciens, his venæ ſectio medetur Stoll.*) *Hippocrates* l. 4. quid. notat, quartanam febrim tum ceſſaviſſe, cum homo factus eſſet typhodes aut typheodes ſtupore attonitus.

§. 674.

Carpentarius quidam, nomine *Gilet*, annorum pene 28 imbecillis pulmonibus ac purulentis, ut fidem eventus fecit, crudeli phrenitide decubuit. Pulſus inæqualis & intermittens. Vena ter quaterve ſecta. Convaluit. Addit *Ballonius*, intermiſſionem hanc ab ætate eſſe, juvante quoque duritie pulſus tum ratione inflammationis, tum duritiei vaſorum. Quod animum addidit ad

ſe-

ſecandam venam in hac intermiſſione, erat *pulſus magnitudo*: ſi enim ad iſtam inter-miſſionem *pulſus crebritas cum parvitate* accedat, anguſtior longe ſpes eſt. — — — Iſtam pulſus inæqualitatem ſæpe de induſtria in molliuſculis pueris conſpicuam vidit, præſertim cum dormirant.

§. 675.

Partium externarum perfrigeratio pertimeſcenda eſt in inflammationibus partium internarum.

§. 676.

In febribus epialis non ſolum eſt ſenſio caloris & frigoris ſimul, in quo epialis natura conſiſtit, ſed etiam mox calor percipitur, mox frigus.

§. 677.

In febribus cum catarrho junctis, alterna frigoris calorisque permutatio non ſolum in partibus corporis extimis, ſed etiam in toto corpore ipſo uſu venire ſolet.

§. 678.

Galenus ait, inaequalitatem & intermiſſionem in arteriarum obſtructione & aſthmate minus eſſe terrificam; quod de aſthmate dixit, idem poteſt audiri de infarctu pulmonum & copia pituitæ, licet homo ita

repletus, quod forte latum habeat thoracem, non sit asthmaticus.

§. 679.

Hippocrates l. de vetere medicina scribit, non a calore simplici, aut a frigore, sed ab amaro, acido, acri æstimandos morbos esse, ut in vacuando potius, quam in alterando laboremus.

§. 680.

Decoctio visci quercini in morbis epilepticis aut quasi epilepticis tempore *Ballonii* valde celebrata fuit.

§. 681.

Ballonius consilio LXI. describit fœminam, paroxysmos aut histericos aut epilepticos pati solitam, de qua dicit: continenter aqua ab ore defluit: & in ultimis paroxysmis tota facies rubore suffunditur, manentque veluti exanthematum quædam vestigia quarto a paroxysmo die. (*Hanc salivationem & continuam sputationem vidi in Dom. de T* * * *tempore graviditatis affectiones hystericas pati solita. Exanthemata autem rubra circa nasum, labia, & in mento tempore paroxysmi hysterici oriri solita, & quædam pustulæ rubræ & post paroxysmum aliquamdiu visibiles apparere-*

*parebant in Domina Z** Huc pertinet genarum, oculorum, & præcipue nasi totius tumor dolorque in Dom. M** tempore paroxysmi oriri solitus, post paroxysmum autem disparens.* Stoll.)

§. 682.

In morbo epileptico aut quasi epileptico, cum dubitatum esset, an *a cerebro, vel a partibus cerebro subjectis* proveniat, *Ballonius ita* ajebat: cum ægrota sit sagax, expedito & solerti animo, ingeniosa, non videtur malum a cerebro esse. Nam cum quis epilepticus est, affecto primum & per se cerebro, maxima ex parte hebes est, obtusus, obliviosus, socors, ignavus, oculis concavis, somniculosus; gravi capite, vertiginosus, & nullis signis præeuntibus statim concidit. At qui ob partes, capiti subjectas est epilepticus, non statim concidit, sed pleraque patitur, tanquam futuram accessionem præsagientia. Eadem hæc ægrota, cum utero gereret, non tam frequenter epilepsia corripiebatur, quam cum utero non gereret.

§. 683.

Vertigo, nausea, vomitus, cardiagmus æquivoca signa sunt, quum fere æque

affectionem cerebri & ventriculi consequentur.

§. 684.

Juniores puellæ, nuptæ, & frequenter enixæ tanto imbecilliores redduntur, quanto frequentius enixæ fuerint: imo magna earum pars catarrhis & doloribus capitis immedicabilibus detinetur.

§. 685.

Hippocrates scribit, in Pherio mulierem exstitisse, cui caput valde condoleret, idque multo tempore: dolor is nulla ope medica levabatur: cum irent menses, levius habebat, cum concepisset, dolores relinquebant. Novit quoque *Ballonius* mulierem vetere hemicrania laborantem, cum frequenti cardiagmo. Ne minimum quidem appulsum caloris, aut frigoris, aut fumi ferre potest, quin doleat. Dum fœta est, alacris, jucunda & immunis ab omni est dolore. Idem *Avicenna* Cap. II. L. 3 ait, mulieribus sæpe non gravidis crurum & lumborum dolores oriri, qui concepto fœtu in utero cessant. *Hippocrates* libro de superfœtatione meminit, non tantum dolores lumborum, sed & capitis & aliarum partium; ita enim ait: *si dolores in coxendice mu-*

lieri

lieri contigerint aut in capite, aut in manibus, aut aliqua alia corporis parte, & quum prægnans est desierint, post conceptum ab utero exsolutum, si repetunt, huic odorata ad uterum suffire convenit, & bibere quoque convenit.

§. 686.

L. 5. epidemicor. narrat de muliere doloribus capitis, cum utero non gereret, conflictari solita; eam ait odoratis ad uterum appositis juvari, & euntibus mensibus. *Fernelius* contra notat, multas fœminas, quum utero gererent, paroxysmo epileptico prehendi solitas, liberas vero extra graviditatem.

§. 687.

Galenus & *Hippocrates* ajunt, in imminentibus morbis *per distantiora* revulsionem esse faciendam: in *præsentibus* vero per *locum proximum*. (*Ergo sectio venæ penes locum affectum nil novi est* Stoll.)

§. 688.

Hippocrates l. 1. de diæta ait: morbi paullatim fiunt, & crescunt, & paullatim collecti affatim & acervatim apparent.

§. 689.

Ad hanc difficultatem, quæ eſt, cur mulieribus male ſanis ex conceptu commoditas proveniat, contra ſanis majora ſymptomata & deteriora eveniant, quum contra fieri debeat, pertinet locus notandus ad finem *libri de carnibus Hippocrat.* ubi docet: mulieres puras gravius affici initio conceptus, quam impuras: & ſi impuræ afficiantur, non ita percipiunt (*hinc fors dolorum quorundam extra graviditatem affligentium & poſt conceptum ſponte ceſſantium curatio deſumi poteſt.* Stoll.)

§. 690.

Cum eodem die modo calor, modo frigus adparet, autumnales morbos parit.

§. 691.

των εξερυθρων duo ſunt genera: alii calidi & humidi ſunt, hepaticique dicuntur, & multum ſanguinis generant; pulſus habent plenos, elatos, magnos; multum ſumunt alimenti; febribus continuis, ſynochis putridisque ſunt obnoxii — — Si in quartanas incidant, eæ longæ quidem ſunt, ſed ſecuræ. Alii colorem habent rubrum & hepar præcalidum: ſed calor in humiditate poſitus non eſt, ſed in neſcio quo ſquallore.

lore, ſiccitate, humiditatis inopia: & hi, tametſi rubore alias fugaci, alias non fugaci perfundantur, ſuffundanturque, tamen hoc non eſt judicium abundantis ſanguinis, ſed calidioris hepatis ſanguinem acrem ſubtilem, ſeroſumque generantis: ſic ſunt pauci ſanguinis, pulſu ſatis celeri, non elato, non plano; valetudinarii vivunt; ſeroſis humoribus abundant, febribus longis, hecticis, hæmitritaeis detinentur, fluoribus hepaticis, & ſi in quartanas, alias continuitatem habent, utpote ſanguine non humectato nec corde, & inæqualitate in pulſibus perſeverante, urinas meiunt aqueas; & alias in quartanam incidunt atrabilariam, horrificam. Priores εξερυθροι venæſectionem facile ferunt. Poſteriores nonniſi cum ſumma difficultate — — hypochondriacis morbis laborant, & obſtructionibus meſenterii & tenaces ſunt, & mœſti, & facile terrentur, & apprehendunt. Imo in hydropem ſiccum facile delabuntur. — — Utrisque ſolemnis ſubinde eſt quædam alvi fluxio, quæ dum fiat, ut erat morborum vindex, ita cum ceſſat, eorum demum eſt promotrix. — — in his ευεξια & ευχροια mala eſt; omnis enim ευεξια, & ευχροια, quæ præter ratio-

tionem advenit, consuetis naturæ legibus non continetur, imo potius est ob veteris & solemnis evacuationis suppressionem, quam ob partium solidarum repletionem & instaurationem, nata est. — hæc ευχροια solum indicat abdomen plenum esse, mesenterium plenum, unde vetus stercus illatum illam ωρρυι secundum quid, non absolute, bonam inducit — — ευεξια hæc morbos a plenitudine indicat, non sanguinis, sed humorum in abdomine contentorum. Hinc quibus mulieribus menses, aut viris hæmorrhoides subsistunt, eæ impinguantur. An præterea bene habent? non — *Hippocrates* lib. coac. animadversionum ait: *Coloris bonitas, & sudores sine febre, aut inordinatam diætam docent, aut vetus stercus subesse.* Hæc coloris bonitas bona non est, uti nec ea, quæ in peripneumonicis adparet. — — Sic non quoties quis saturato rubore est, dicere oporteat, eum valde sanum esse, nec taliter affectum dicere oportet, temperamento esse sanguineo. — — Rubens gena non propterea sanguinis dominatum declarat. Nam bifariam rubent genæ, aut propter sanguinis abundantiam, & tunc eos sanguineos esse dices & ii quadrati esse solent, rubi-

rubicundi. Parum de rebus solliciti (nisi inclinante ætate corpus minime perspiret) & liberariores esse oportet in sanguine mittendo.

§. 692.

Theriaca initio febrium quartanarum data, duplices triplicesque quartanas facit.

§. 693.

Galenus l. de typis c. 4. ait: quartanam typum sequuntur inappetentiæ, salivationes, aliquando ex caussis contrariis appetentiæ intensæ, tussiculaque ipsis adest, quando corporis habitus corrumpitur. (*In quartanarum paroxysmo vidi etiam ego famem intensum Stoll.*)

§. 694.

Corpora macilenta, attenuata, squallentia, arida, quæque adstricta alvo laborant, validioribus medicamentis tentanda non sunt. — — Ejusmodi ventres siccos & arentes *Hippocrates* vocat *ambustos exustosque.* — — non calefacientia, sed lenientia eccoprotica &c. prosunt; nocent scammoniata. — — Ea corpora *præhumectare* oportet ex consilio *Hippocratis* in Aph. de usu helleborismi. Quidam ex coætaneis *Ballonii* sic illa corpora purgabat, ut

per

per tres dies continuos, & bolis cassiæ tanquam alimento sumptis, & jusculis vitulinis præhumectaret & præpararet.

§. 695.

In iis, qui febricitant insigniter satis, sed non valde sitiunt, & levibus momentis exhorrescunt, non est æquum, usum magnorum remediorum accelerare, præsertim cœlo paulo frigidiore. Innumeras vidimus hieme tepidiore febricitantes eo modo quo descriptum a nobis est, quibus medici præpropere vulgatam nimium medendi viam sequentes, & sectionem & purgationem adhibent. — — Eccoprotica dare sufficit, non scammoniata eradicantia medicamenta, in quo graviter peccatur. &c.

§. 696.

Ballonius observavit, medicamentum etiam blandum, horis pommeridianis tribus horis a prandio exhibitum, magnum habere effectum. Hinc discere possumus, ait *Ballonius*, in his quibus alvus admodum adstricta est, ex usu esse, si quatuor horis a prandio exhibeamus pharmacum.

§. 697.

Hippocrates observat in affectibus pulmonum, præsertim si inflammatio sit, insig-

ſignem mutationem pulſus, & animi defec-tionem, quod nos animadvertimus ſæpe; imo & quoties multa pituita infarcti ſunt pulmones, & ſi a capite catarrhus illabitur — — quidam ita affecti ſimul putant, ſibi animum deficere. Quod pauci animadvertentes, illud ad inanitionem revocant, & ad repletionem confugiunt. — — Pulſuum inæqualitas & nonnunquam intercalaris intermiſſio poteſt provenire ab obſtructione lævium arteriarum: poteſt & propter pulmonum ipſorum infarctum ptovenire, aut mollitudinem & laxitatem ipſorum, utpote qui in coſtas incumbunt; quod annotavit *Hippocrates*: maxime vero videtur fieri ex pravitate anathymiaſeos; declarat id, indicatque ſubinde curatio; nam pro gradibus purgationis pulſus reſtituitur ſubinde.

§. 698.

Hippocrates 2. prorrh. obſervat, in morbis funeſtiſſimis contingere quandam leucophlegmatiæ ſpeciem, ob malignam qualitatem & flatulentam, quod in phthiſico quodam *Ballonius* vidit, cui totum corpus moribundo intumuit, ac facile diſparuit.

§. 700

§. 699.

Ballonius l. 1. conf. LXXIII. narrat de fœmina, cujus ex utero flatus erumpebant; quod *Aetius* obfervat in cap. de inflammatione uteri & fatyriafi.

§. 700.

Filiola Domini *Florai*, quum fub dio, partim in fole verfata effet, dolcre caput cœpit, & tuffire: febris acuta, per intervalla major: noctes moleftiffimæ, maxime enim ad fextam ferotinam & febris & omnium fymptomatum exacerbatio, jactitatio, inquies, tuffis & tuffiendi cupiditas perpetua: nullum fputum, tametfi effet *ftridulâ*; in pulmone humoris concurfatio, quæ *obaudiretur.* Sitis ingens & implacabilis frequens & brevis refpiratio cum difficultate. Poftquam tuffiverat, ftatim ejulabat; aliquando in partibus extimis febris mitefcere videbatur, imo leniter perfrigebantur, ac fi non foret acceffio; fed illud fallax fuit; de dolore lateris non querebatur. Rubor genarum non erat, etfi is fere perpetuo adeffe foleat in inflammatione partium thoracis: item aliquando claufo ore dormiebat. Octavo die fymptomaticus alvi fluor; nono interiit. Aperto cadavere latus finiftrum

pu-

purulentum erat, & pars pulmonis, quæ illud contingeret; imo & pus in capacitatem fusum erat. Pleuritis fuit. Venæsectio neglecta fuit. Asserit *Ballonius*, se observasse in pueris valde febrientibus frequentem, parvamque respirationem, licet affectus thorax non esset, sed nonnunquam magna intercidit respiratio in omnem dimensionem dilatato thorace: at in hac puella nil tale observavit: imo cum dilatare thoracem vellet, subsultabat quodammodo & vociferabatur. (*Stridorem in pectore, exacerbationes manifestas, & convulsificas, pallorem faciei, spiritum exiguum, frequentemque continuo; sæpius vidi in inflammatoria puerorum pleuritide Stoll.*)

§. 701.

Tabescentes comitatur subinde febris semitertiana.

§. 702.

Ballonius narrat de fœmina, quæ ex febre *trithæophye* decubuit, indeque mortua est 27. die morbi. Dein addit sequentia: nec alienum erit monere, *Galeno* placuisse cum veteribus febres istas tritæphyeis inflammationem sequi partium internarum, quod & in hac muliere observatum est, to-

tum

tum enim corpus internum incendio conflagravit, totus sanguis putris erat & fere lacteus. (*Febris hæc tritæophyes dicta, erat febris vere inflammatoria. Nomen ergo tritæophies subinde biliosis, subinde vero inflammatoriis indebatur. Stoll.*)

§. 703.

Perperam medici faciunt, qui ubi primum aliquem hæmopticum vident, illum frequenti venæ sectione fatigant; sic enim pulmoni & lateribus infirmitas conciliatur. (*Ubi roborantibus opus in hemoptoe, ibi nocet venæ sectio. Stoll.*)

§. 704.

Si instantibus crisibus, præsertim si morbus biliosus sit & bene ordinatus, medicamenta dantur, sæpe hypercatharses inducunt: quod centies verum deprehendi, & id primus edisseruit *Hippocrat.* Ita Ballon. Id. *Hippocratis* libr. de medicamentis.

§. 705.

Ex *Hippocrate* constat, medicamentis præscriptis diebus instantibus criticis, aut secta vena hypercatarses esse faciles: quod nos in plerisque observavimus.

§. 706

§. 707.

Catoche, cataleptica affectio, cadit in febres præsertim eas, quas committit nescio quæ in parte dispositio; ut cum materia est in cerebro — — aut cum est in ventriculo, aut in hepate, fit febris *elodes*, *typhodes*, *erysipelatodes* — — —

§. 708.

Cum in episemasia morborum febrilium soporosi affectus surgunt, affectionem & pravam dispositionem non in genere venoso, sed aut in ventriculo, aut mesenterio aut in cerebro ipso significat, & ad pravum exitum sæpe hæ febres tendunt.

§. 709.

(*Nota* 1. *affectiones soporosas a primis viis oriundas, uti e. g. in morbis biliosis, hinc etiam delirium biliosum.*

2. Febris *erysipelatodes* aliud est apud veteres, ac hodie; veterum enim *erysipelatodes pertinent ad febres stomachicas, aut intestinales.*

3. *Febris typhodes, elodes, materiam morbi in primis viis habent, pertinentque ad stomachicas & intestinales. Stoll.*)

§. 710.

In morbis omnibus malignis, qualiscunque fuerit excretio, quoniam virulentæ materiæ excretione, quomodocunque id fiat, juvatur, plurimum profutura eſt.

§. 711.

Hæmorrhagia narium prætet ætatem & morem, itemque genarum rubor pulmonùm eorum propriùm exiſtit.

§. 712.

Experientia probavit, exiguo pure, aut vi excreto, aut ſua ſponte mananti, majorem virium jacturam contingere, quam ſi ſanguis aut plenius detrahatur aut ſponte fundatur.

§. 713.

Evacuationes magnas, aut aquæ in ventre aut puris in thorace, aut ubicunque alibi, non debent fieri *confertim*, ſed ſucceſſive. Id quod *Galenus* jam monet.

§. 714.

Hippocrates ait, quibus dolor ad hypochondrium ſine inflammatione, his febris ſuperveniens ſolutio.

§. 715.

Quum iniretur conſilium pro Forcii Mercatoris cognato, cui dolores arthritici ſunt

ſunt familiares, & autumno & vere repetunt maxime, creditum eſt, ſerum maxime putre a viſceribus manans cauſam reducis illius mali eſſe. Declarat curatio; nam cum expurgata prima regio ventriculi, & educti multi humores ſeroſi electuario diacarthami, & ſyrupo roſarum ſolutivo, præcipiebatur occaſio reditus. (*Ad morbos bilioſos dolores hi pertinent, iique ſæpe obſervantur poſt morbos bilioſos, autumnales, non ſufficienter adhibitis evacuantibus, curatos. Stoll.*)

§. 716.

Ballonius narrat de quodam, venerea lue infecto, cui gonorrhea virulenta ſuppreſſa fuit intempeſtive. Suppreſſa gonorrhea uxorem ſuam compreſſit. Medio graviditatis tempore dyſentericum & ſeroſum profluvium patitur mulier, quo vix liberatur — — nono menſe fœtum edidit purum & incontaminatum, quod mirum fuit — — ſed cum forte matri propinatum eſſet pharmacum alius rei cauſa, & juſſum eſſet lactari infantem etiam medio graviditatis tempore, repente multis corporis partibus argumenta certe ejus & ſcabiei hiſpanicæ paruerunt. — — Infans nondum duos menſes

ſes natus ablactatur, & lacte paſcitur e vitreo vaſe, collum gruis habente. Proviſum puello hoc remediolo.

R. Butyri recent. non ſalſi in aqua ſalviæ lot. unc. jv.

Argenti-vivi in eadem aqua lot. dr. ij. diu triturando, fiat linimentum.

§. 717.

Ballonius deſcribit l. I. Conſ. med. conſ. XCIV. febrem *aſſoden*, morte terminatam ubi ſanguis cum cruſta ter educebatur. Male dabatur purgans. (*Videtur fuiſſe atrox inflammatio ad cartilaginem xiphoidem. Patet febrium aſſoden ſubinde vocari etiam eam, quæ vere inflammatoria eſt. Stoll.*)

§. 718.

Galenus in comment. in aph. 23. l. I. in billioſis & ardentibus febribus non reformidat venæſectionem, etiam ad leipothymiam usque. (Quas *Galenus bilioſas febres vocat, hic fuere inflammatoriæ. Frequenter in veterum libris occurrit. Febres bilioſas ſæpe nominarunt a cruſta ſanguinis flaveſcente, quam bilem dixere. Ita Ballonius* omnes fere pleuritides *bilioſas* vocat, id eſt, *noſtra phraſi inflammatorias.* Imo

Hip-

Hippocr. l. *de locis in homine nomine bilis pleuritin intelligit. Arabes in biliosis morbis venæ sectionem reformidant, sed an eandem cum veteribus de bile ideam habuerunt?* Stoll.)

§. 719.

Galenus ait, omnes morbos diuturnos *frigidos* esse. (*Tamen dantur morbi calidi diuturni.* Stoll.)

§. 720.

Quartanarius hausit cyathum unum aceti destillati aqua diluti. Revera febris visa est exstingui: sed vice illius totum corpus scabie est infectum, nec non ab eo tempore in magnis temporum mutationibus, articularibus doloribus est impeditus.

§. 721.

Quibus præcordiorum dolores, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum, sic sanguine per alvum egesto servantur, non egesto moriuntur. *Hippocr.* in coacis.

§. 722.

Quibuscunque ex morbis acutis ac diuturnis, sive quovis alio modo extenuatis nigra bilis, sive uti sanguis niger desuper exierit, postridie moriuntur. l. 4. Aph.

§. 723.

Sæpe quibus venarum aliqua rupta eſt, a laboribus aut exercitiis, quum coaluerit, alio tempore iterum rumpitur, ubi vero iterum rupta eſt, ſanguinem fundit, & ſtatim pereunt ſanguinem multum fundentes; pus autem per totum diem excernentes conſimili modo pereunt, veluti in aliis morbis dictum eſt. l. I. de morbis.

§. 724.

Hippocrates dilatationem venarum in pulmonibus veluti varicoſam adſtruit; itaque *σπαδωνα* vocat *απο το σπαςδαι* quod præ dilatatione divellantur membranæ præ ſanguinis copia ibi inundantis. Et ſic in omnibus corporis partibus ob violentum aliquem conatum ille ſpadon ſeu *κιρσος* poteſt contingere. *Hippocrates* in libris de morbis.

§. 725.

Hipp. ſect. 3. l. 2. epid. memorat quartanam quoque febrem, longam facto impetu in univerſum corpus, & tumore, qui ad lienem erat, evaneſcente, deſiiſſe.

§. 726.

In febribus, quæ non intermittunt, exulcetrationes ſanguinolentæ, liventes, graveo-

veolentes, bilioſæ, omnes malæ ſunt: ſi bene procedunt, bonæ: eademque ineunda ratio in iis, quæ per alvum & urinas feruntur. *Hipp.* aphor. 47. l. 4.

§. 727.

Error Medicorum eſt, ait *Ballonius* l. I. Conſil. CVIII. qui cum ſputum aut cruentum aut ſubcruentum vident, putant eſſe aut pleuritidem aut peripneumoniam. Quæ opinio, etſi opinione *Galeni* & *Hippocratis* paullo poſt confutata eſt, quod ex pulmone ſæpe pravæ fiant excretiones ut floridæ, id eſt cruentæ, nigreſcentes, pallidæ, cum tamen nec ſit inflammatio, nec pleuritis, nec peripneumonia. Inter cætera locus eſt commemorabilis in hiſtoria de Pythione l. 3. epid. p. 4. ſit. ubi docet, varia Pythioni, & cruenta ſputa apparuiſſe, cum nec peripneumonicus, nec pleuriticus foret, nec a capite malum eſſet, ſed a defluxu tantum materiæ, quæ non erat tanta, ut inflammationem pareret, aut forte in pulmone congeſta, ſed quæ incendium non conceperat.

§. 728.

Circa faciem coloris ſuavitas, & ſudor ſine febre, aut vetus ſtercus ſubeſſe ſignificant,

ficant, aut diætæ ἀταξίαν. Vide locum præclarum, c. 2. l. *Celſ.*

§. 729.

Revera rubor genarum inflammatorum, aut inflammationi proximorum eſt indicium.

§. 730.

Ballonius obſervavit, quod ſomnus in multis morbis acutis laborem faciat, convulſiones & timores afferat — — — Per ſomnum non ſolvuntur febres, imo extenduntur, dolores augentur, fluxiones multiplicantur, creſcunt inflammationes.

§. 731.

Hippocrates ait l. 4. de acutis: Hepatis dolores & ſplenis gravitates, & aliæ inflammationes ac morborum collectiones ſolvi non poſſunt, ſi quis primum medicamentis purgantibus purgare aggrediatur. Nam venæ ſectio in talibus principalis eſt, dein infuſa per clyſteres & poſt venæ ſectionem purgans medicamentum ſecuritate & moderatione opus habet &c.

§. 732.

In intumeſcente, & ad attactum dolente abdomine, & præcipue hypochondriis, alvo ſive ſubſiſtente, ſive etiam liquida, *Ballonius*

lonius venæ ſectionem faciendam ſuadet. Notat diligenter, non ſemper magnam adeſſe febrim, etſi intus inflammatio lateat, quæ venæ ſectionem poſcit. Talis morbus eſt *tympanites*, ortus a phlogoſi, ſive ventoſitas flatuoſa, ſive ανεμιη. *Hippocrat.* ait Lepid. ſect. 5, ventoſitatem flatuoſam venæ ſectio ſolvit.

§. 733.

Galenus ait: ſi in jecore, ſepto, ventriculo, phlegmone oriatur, acuta febris forſan fuerit, quamquam ne hoc quidem perpetuo. Verum, nondum vera maligna eſt.

§. 734.

Ballonius ait: videmus plerisque ſalivam dulcem & veluti inſulſam eſſe, aliis ſalſam, nitroſam; aut aliis vehementioris qualitatis, ita quoque de defluxionibus dicendum eſt. Talis autem generatio peculiarem naturam corporis cujusque ſequitur: unde *Hippocrates* l. 2. epid. ſub finem ſectionis primæ vocat corpus αλμωδες, quod humore nitroſo & ſalſo abundat, & a cujus capite maxime fluit talis humor. (*Tale corpus αλμωδεσ habuit puella in Marienhilf apud tres lepores, quæ graviſſimis doloribus capitis*

pitis diu laboraverat, & salivam salsam querebatur, tandem solventibus, sero lactis succis recentibus taraxaci, cichorei &c. interpositis purgantibus ex rheo curata est. Domina de T**ra arthritica facta, dolore gravi capitis affecta, pariter habet corpus *αλμοδες*, queritur fere semper gustum depravatum &c. (*Stoll.*)

§. 735.

Hippocr. l. de vetere medicina abunde docet, in salsis & acutis fluxionibus mitificandum esse, non autem evacuandum.

§. 736.

Hippocrates in coacis ait: quibus salsuginosa sputa & tussis supprimuntur, his corpus velut a pustulis rubescit.

§. 737.

Hippocrates l. 3. de morbis, caput praeclarum scripsit de lethargo, ubi lethargum ait oriri per quandam peripneumoniae affinitatem, & in isto lethargo potius pulmoni, quam capiti consulit.

§. 738.

Hippocrates de indicatione purgandi ex urinis desumenda sic ait C. 4. acutor. *Quibus initio urinae crassae ac nebulosae fuerint, hos annuentibus ceteris purgare convenit*

venit. Quodsi urinæ in initio tenues fuerint, tales non purgabis. (Egregia hæc regula Hippocratis est, pro formanda diagnosi, utrum inflammatio adsit, an non. Nam in inflammatione omnia ad initium cruda, incoctaque sunt, id est urinæ tenues. Stoll.)

§. 739.

Ballonius ait: Quæcunque mulieres; idem & de viris, dum sanæ sunt, dolent de latere aliquo; cum febricitant, æque dolent, ac si pleuriticæ essent vere; & revera cum iis, ut cum pleuriticis agendum.

§. 740.

Putant, pleuritidi ideo succedere fluorem alvi, quod inflammatio communicetur cum hepate, & partibus nutritioni dicatis. Quemadmodum inflammatæ gingivæ in dentientibus facile ventriculum & intestina sollicitant. (*Patet in fluore symptomatico pleuritidis fieri venæ sectionem debere, cum id sit symptoma acutæ inflammationis.* Stoll.)

§. 741.

Dentientibus pueris subinde opiata dare convenit. Pusioni sedecimestri *Ballonius* curavit in jusculo pulli incoqui dr. iij.

Sempa-

Sempapaver. alb. cum lactuca in taleolas secta.

§. 742.

Joannes Tasinus, calidus temperie & siccus, veneri indulgens, ut erat suspicio; vertigine oppressus, linguæ minime continens, repente concidit. Obmutuit, paulo ante gravi metu perculsus fuit; fandi impotens, loquentibus annuit. Designat locum dolentem ad latus dextrum circa septum. Ad frontem & tempora flammeus calor manu medici percipiebatur. Post paroxysmum narrabat, se gravissime caput doluisse. Ex intervallis exsilit, more phreniticorum, non convellitur, obmutescit, sopor velut vigilans, delirium. Dolet latus dextrum; sinistrum autem ante doluit. Olim sanguinem ore rejectavit. Secta vena est. A venæ sectione rediit paroxysmus; cœpitque stata periodo reverti, idque noctu. Restitutus doluit adhuc capite & latere, febre carebat. Urinæ non malæ. Spiratio frequens, parva, non magna, rara, licet delirus; aliquando spirabat parum elato pectore, frequens, & humile, ilia ducendo; hypochondriacum aliquid congenitum erat: pulmonicum quid putabant, aut

a

à pure vaporem aut tuberculum, aut convulſionem articulorum, pulmonis aut adhæſum; ſectio, uſtio, aut maturatio flagitabatur; omnia in ancipiti erant. — — Poſt magnam purgationem convaluit. Eruperant paulo ante ambuſtis ſimiles puſtulæ? an quia ſplenicus? ultimæ dejectiones albicabant: an quia abſceſſus ruptus eſt? præter ſpem convaluit. In epicriſi hujus hiſtoriæ ait *Ballonius*: in febrium ineuntibus paroxysmis præter conſuetudinem quædam ſymptomata apparent, aut ingens capitis ſolius dolor, aut brachii aut cruris, aut velut incubus, aut ſuffocatio; nonnullis quædam contractiunculæ convulſionibus ſimiles.

§. 743.

Catarrhoſis, a quibus manat a capite ſubtilioſus ichor, bene coloratas videmus; notæ, quibus colligas, iſtam coloris bonitatem, a cauſa morbifica pendere, hæ ſunt ſi cum iſto rubore non acute audiat; item ſi cum bene videatur habere, paucis cibis repleri, contentumque ſe eſſe dicat.

§. 744.

Κατ εξοχην dicitur febris τυφοδυς, cum hepar eſt inflammatum; quemadmodum χρυμωδης, cum pulmo eſt inflammatus &

ερυπελατωδης & λειπυρια, cum ventriculus eſt affectus, quo in ſenſu audiendum illud *Hippocratis: leipyriæ febres non ſolvuntur, niſi cholera morbo ſuperveniente:* id eſt, eryſipelas in ventriculo ob inflammatam in eo bilem, & æſtuantem non ſolvitur, niſi evacuatione bilis ſurſum deorſum in modum των χολερικων, ut loquitur in epid. id eſt, choleræ morbi.

(*Patet aliud recentioribus eſſe febrium eryſypelatoſam, quam fuerit antiquis.* Nobis eſt, *febris inflammatoria*; antiqui *inflammationem vocarunt quemlibet ardoris ſenſationem, etiam a billioſa ſaburra provenientem. Hepatis inflammatio ſive febris τυφωδης non videtur ſemper fuiſſe vera hujus viſceris inflammatio, ſed ſæpe ſaburra bilioſa. Stoll.*)

§. 745.

In phrenitide inflammatoria non delirant τα πολλα, ſed ſemper.

§. 746.

Galenus ait: delirare ſolent aliqui ob vitium, quod in ore ventriculi exiſtit, & in febribus ardentibus & in peripneumonia, & in pleuritide, ſed deliria ob affectum diaphragmatis, non multum diſtant a phrenitide.

de. Quippe per ceterarum partium affectus atque per febres ardentes delirium mitigatur, quoties morbus, id eſt aut peripneumonia, aut pleuritis, aut καυσος declinat. At phrenitidis propria nota eſt, ut ne in declinatione febrium quidem quieſcat delirium. Quum enim propria cerebri ſit affectio, paullatim accidit, ſed quieſcere ſubito atque affatim non ſolet.

(*Videmus a Galeno cognitum delirium bilioſum, quando dicit, dari delirium, ob vitium, quod in ore ventriculi exiſtit. Delirium quoque idiopathicum, a ſympathico bene diſtinguitur a Galeno. Stoll.*)

§. 747.

Ballonius ait: neſcio qui fiat, ut morborum cerebri & notitia & curatio difficillima ſit: notitia quidem, quoniam multi convulſivi ſunt, pavoribus conſternati, phrenitide, apoplexia, epilepſia ſublati, lethargicis affectibus oppreſſi, ſideratique, in quibus nullum fere veſtigium mali, aperto cranio inventum eſt, nec ſanguis, nec aqua, nec ichor, quamquam medici, qui hiſtoriam morbi vidiſſent, & terrifica ſymptomata obſervaſſent, certo affirmarent, ſibique perſuaderent, ſe aut inter membranas, aut in ca-

cavitatibus, aut alia in parte, aut abſceſſum aut ſanguinis aut aquæ copiam deprehenſuros: & nos ſæpe in iſta alea verſati ſumus, primariosque medicos verſari vidimus.

§. 748.

Hippocrates vocat morbos, lethargos, quorum ratio fere eadem eſt, ac peripneumoniæ. Fit autem, cum focus febris continuæ eſt in pulmonibus, & ii obſtructi ſunt valde, & humore craſſo, putrique pleni: qui enim ab ea materia fumi excitantur, dum obruunt anteriores cerebri partes, lethargicon inferunt, & καρωδες & χωματωδες & ab eo accidente quoniam ægri obliviosi, ſocordes, veternoſique jacent, affectus ληθαργος dicitur.

§. 749.

Aëtius, *Fernelius*, *Galenus*, & *Rondeletius* ſuas habent hiſtorias de catalepſi, quibus colligas modo ab his, modo ab illis cauſis pendere.

§. 750.

Hippocrates catalepſin l. 2. de morbis vocat φροντιδα.

§. 751.

Hippocrates in coacis ait: ſanguinem ſpuentibus confert, ut ſint ſine febre, leviter

ter doleant, ſputum tenue ſit ad dies bis ſeptem; febrire, tuſſire contumaciter & recentem ſemper ſanguinem excernere, malum.

§. 751.

Ballonius ait: in validis tuſſibus, præſertim cum inanes ſunt, dolorem audivimus tantum in ventriculo natum, ut neceſſario opitulandum ipſi ventriculo fuerit. —— quemadmodum difficultas reſpirationis facit, ut vi ſympathiæ dolores in partibus ventris inferioris oriantur, ſic difficultas aliqua ſpirandi oritur ob læſionem doloremque partium in ventre contentarum, & tunc eſt opitulandum partibus ventris inferioris relicto thorace & partibus ejus — — Cauſa ſæpe latet in hypochondriis.

§. 752.

Qui tuſſiculoſus eſt, ſtridulam habet vocem, impeditamque, præter rationem emaciatur, dum genæ rubicundum, floridumque aliquid habent, & in ceteris pendulæ videntur, *pulmonicus* eſſe dicitur, ſive πλευμαν id eſt tabidus aut phthiſicus eſſe.

§. 753.

Diuturnus lateris dolor, qui ordinariis remediis non cedit, teſte *Hippocrate* l. I.

coac. in ſuppuratum abit. Tuberculum tunc in pulmone eſſe *Ballonius* aſſerit.

§. 754.

Hippocrates l. 2. de morbis deſcribit morbum, quem vocat *σπασμον του ορδρου τε πλευμονοσ*, ſive convulſionem articulorum pulmonis.

§. 755.

Galenus docet, ſiccos non ferre evacuationem ſanguinis, id eſt, quibus alvus ſicca, & qui ſquallidi ſunt.

§. 756.

Omnes fere hipochondriaci per ſympathiam quandam occultam thoracem dolent, & medici exiſtimant in pulmonibus latere malum, aut in coſtis, cum id fiat tantum ratione diſpoſitionis hypochondriacæ, in qua flatus excitantur peſſimi, qui oberrantes dolorem pectori inferunt. Unde etiam ante diximus *δυσπνιαν* contingere poſſe propter affectum & meſenterii & ventris inferioris.

§. 757.

Hippocrates præclara præcepta dedit 5 epidem. de inſtituendis purgationibus :] in purgationibus inſtituendis, ventres ſubpurgabis in morbis, cum matura fuerint, infra, ubi confidiſſe videris: ſignum habens, ſi nec

ſi nec anxii aut capite gravati fuerint, aut cum poſt exacerbationes ceſſarint: ſurſum vero in exacerbationibus: tunc enim ſera ſponte elevantur, cum anxii & capite gravati fuerint, ac ſe jactarunt.

§. 758.

Incredibilia ſunt ſymptomata, quæ eveniunt in principiis acceſſionum. Hinc Hieronymus Gabuvinius narrat, quemdam juvenem vidiſſe ſe, febre quotidiana laborantem, qui, ſimul ac acceſſio prehenderet, ſyncopizaret, deinde epileptico modo convellebatur.

§. 759.

Caveant medici prædicere, ſcilicet deprehenſuros ſe aliquid in capite eorum, qui morbo cerebri obierunt.

§. 760.

Videmus in paucorum dierum febre corpus ita ſæpe reſiccari, ut marasmodes pene reddatur: id quod maxime bilioſis accidere ſolet.

§. 761.

In quibusdem morbis τασις τις, in quibusdam λυσις. In quibus, eſt lyſis, deterior natura eſt, deterius ingenium.

§. 762.

Ballonius ait: inter locos, quos unquam legi, celeberrimus est l. 2. Prorrh. quum loquitur περι αναρρηξηοσ αιματος, id est, de excretione sanguinis per os, atque ait Hippocrates, inter hæmoptoicos evadunt, quicunque dolores habent melancholicos & in dorso & in pectore, quasi hi minus laborent & periclitentur quam alii. Accedit & id, quod notavimus de Catonio Crespieensi Valesio in viro des Nonnains d'Hierre qui excrevit ingentem copiam sanguinis nigri, apyretos, & habitu valde melancholico est. E regione lienis in ventriculum eructabatur, & miraculo evasit. (*videtur probabilissimum, dari in pulmonibus quorundam hominum biliosorum siccorum, squallidorumque præcipue, varices æque ac in eorum intestinis, ano, ventriculoque; remediis indicatis adhibitis juverit fors fumo adstringente & roborante vasa pulmonica roborare interne solventia ex sero lactis &c. dare, & alvum servare lubricam; lichen, cortex, balsama omnia assueta, & adhuc magis vere adstringentia medicamenta insigniter nocent, alvum stringendo, siccum per se squallidumque corpus densando, siccandoque. Stoll.*)

§. 763.

§. 763.

Porro, quod ad melancholicos pertinet, ii ſæpe ſunt flatuoſi: flatus enim maxime facit ad ruptionem venarum, & proinde ad ſanguinis rejectationem. (*Melancholicis ſæpe faciunt, ut vaſa ſanguifera rumpantur.* Stoll.)

§. 764.

Qui hypochondriaci ſunt & flatibus abundant & cruditatibus; utrumque imaginationem pleuritidis afferre poteſt, quia & in cruditate ipſa, & flatuum copia facile thoracis dolor excitatur.

§. 765.

Pulmonicis, ait *Ballonius*, efflorescunt nonnulla in cute circum pectus aut ſcapulas, & talia ſunt ſigna contentæ materiei in pulmone; cum apparent puſtulæ in aliquo, videndum, num id ſequatur vitium quoddam particulare partium internarum.

§. 766.

Fluor muliebris præſertim fœdus & efferus non tam repente adoritur. Sed vulgo quæ mulieres ϱοον iſtam patiuntur, primum aliquas ſentiunt in ſinu pudoris humiditates, quæ dum tempore augeſcunt, acore quodam in utero contracto, tandem verum

ῥοόν γυναικειον inferunt. — — — Fluor iſte ſymptoma eſt conſequens morbum aliquem aut corporis totius aut partis. (Duo hæc ſigna *ſunt quaſi diagnoſtica*, *fluorem album a gonorrhæa diſtinguentia.* Stoll.)

§. 677.

Duplicem *Ballonius* fluorem album ſtatuit, *univerſalem*, qui ex vitio totius corporis oritur, & *particularem* ob affectum ipſius uteri proprium.

§. 678.

Ballonius ait: cum genitalibus morbis thoraci magnum eſt commercium, unde catarrhoſas mulieres & pituita in pulmone abundantes, oppurtunas fluori muliebri videmus, transfuſo a thorace in uterum humore.

§. 769.

Pleræque mulieres menſium ſuppreſſionem ſemeſtrem ſine noxa patiuntur, aliæ non patiuntur bimeſtrem ſine graviore damno, præſertim ſi vel facile corruptibilis ſit ſanguis, ut quibusdam evenit, aut ſi jam a primo ortu aliquod malæ indolis habuerit, aut ſi raptus fiat ad nobiles partes. Eſt enim valde notandum illud *Galeni*, ſanguinem ſupprimi in muliere aliquando non

prop-

propter paucitatem, aut vitium aliquod conformationis in utero, aut aliquid simile, sed quia sanguis præ suo rubore ad alias partes defertur.

§. 770.

Fernelius ait *fluorem album venereum* etiam prorumpentibus mensibus persistere; at vero fluorem album *non venereum durantibus* mensibus cessare. (*Falsum id esse, vidi in nosocomio practico.* Stoll.)

§. 771.

Omnium deterrimus est ῥοος, qui & qualitatem malam habet, & perpetuam habet generationem, sive ea sit in toto corpore, sive in una parte —— tamen si adest, non continuo supprimendus —— pravam dispotionem primo tollere oportet. —— Est ergo ubi fluor uterinus ad tempus juvat. At si humiditas tantum quædam simplex circum pudenda appareat, & certo colligas, aut ob humiditatem corporis multam, aut ipsius uteri id evenire, aut quandam uteri lævitatem esse, sine metu ullo ad supprimendas illas superfluitates accedere possumus, quod notandum ad legitime adhibenda remedia.

§. 772.

Apud *Hippocratem* locus eſt valde commemorabilis: docet mulieres bilioſas non impune ſanguinis evacuationem per uterum ferre — — a tali evacuatione incidunt in ὀλιγοψοχίαν; cibi faſtidio, anxietate & vigiliis occupantur: at ſi alvus turbetur, bonum, & item ῥόος χολώδης per uterum confert, ſed non per multos dies nec magna copia. (*Idem univerſaliter de omnibus bilioſis dici poteſt; ſanguinis evacuatio per ſe ipſis nocet, confert impenſe purgatio & vomitio.* Stoll.)

§. 773.

Ulcus uteri ſuis ſe ſignis prodit, tum ex qualitate materiei fluentis, tum ejus, quæ præceſſit, tum a dolore petitis: accedit congreſſus difficultas ob dolorem, qui excitatur, maxime ſi circa collum ulcus lateat — — fluorem album maxime *ab utero* eſſe (*id eſt, ex vitio topico ipſius uteri*) colliges, ſi circum os pectinis aut in partibus internis ad uterum dolor quidam profundus ſit, ſi menſes ſuppreſſi ſunt; credibile enim, circa uterum ſtabulatum eſſe humorem, qui mora vitiat uterum — — ſi corpus bene habitum ſit & floridulum,

credi-

credibile eſt, ab utero potius eſſe. Sin corpus pallidum, aut bilioſum, aut melancholicum, vel in toto, vel in parte, illinc pendere *ἧσσον* probabile eſt.

§. 774.

Aqua intercute laborantibus muliebria diutius perſeverant. Item *Galenus* ait: ſi craſſiores fuerint, humores difficilius fluunt quam ii, qui ſecundum naturam ſunt, longius tempus exſpectant &c.

§. 775.

Pleræque fœminæ fluore albo tentatæ, pulmonum morbis a defluxione corripiuntur.

§. 776.

Corpora humidiora natura, ſunt morboſiora, ſi verum illud aph. l. 6. queis natura nares humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur: quibus contraria, ſalubres degunt. Item in Epid. quibus natura nares humidiores, genitura humidior & copioſior, hi morboſius ſani ſunt.

§. 777.

Quis dubitat, quin aliter ſeſe gerere oporteat *toto corpore* affecto, quam ſi vel *pars una*, *vel uterus ipſe* laboret. Quin etiam diſpoſitionis varietas rem quoque va-

riat. Nam in quibusdam eſt *frigiditas* & *humiditas* multa nativum calorem obruens cauſa hujus rei; in aliis vitium *ventriculi* & *primæ regionis*, ut in iis, quæ fœdos quoque colores, & in talibus fœtet anhelitus, ructus adſunt cachexiæ ſigna, luridi ſunt dentes, gravedo, tumor pedum aut corporis: Eſt enim prava chyloſis, ſeu pravitas, ut loquuntur practici, digeſtionis — — — in nimia humiditate & refrigeratione ortoque inde fluore abſtinendum:

1) ab adſtringentibus, ventris enim tumor & hydrops inde oritur.

2) Habenda eſt ratio ventriculi.

Rondeletius bonus medendi magiſter in curando *ſoo* abſtinet præſertim a pillulis officinarum, quod conſtent ex calidioribus, & iis, quæ tenuitatem partium majorem habent: ſed non omnino prohibet eadem remedia, quum fluor a pituita eſt.

SECTIO.

SECTIO II.

DE

METHODO

EXAMINANDI ÆGROS.



DE

METHODO EXAMINANDI ÆGROS.

Antequam ad lectos ægrorum accedamus, quædam *Prolegomenon* loco dicenda ſunt, de modo inſtituendi anamneſin, & de methodo præſentem ægri ſtatum examinandi. Plurimum intereſt, ad formandam adcuratiorem morbi diagnoſin, ſi ea, quæ prægreſſa ſunt, probe perſpecta habeamus; hinc eſt, quare longe facilius iis hominibus mederi poſſimus, quorum vitæ ratio nota nobis eſt, quibuscum ipſi con-

cum

verſamur. *Celſus* ait, meliorem eſſe medicum amicum, quam extraneum, ſi par ſit cæteroquin in utroque ſcientia, ob easdem, quas attuli, rationes.

Ad anamneſin ergo rite inſtituendam ſequentes utplurimum quæſtiones ægro proponi debent:

1) An morbis puerilibus, id eſt variolis & morbillis defunctus ſit.

2) An unquam graviori aliquo, & notabili morbo, ſive chronico, ſive acuto decubuerit, & quali, qua ratione fuerit curatus, an ſponte ſua, absque adjumento artis, & ſi uſus fuerat, quibusnam medicamentis, an a medico, vel ab alio artis non perito fuerit ſanatus?

3) Quæ valetudinis morbum præſentem proxime præcedentis conditio fuerit, an perfecta uſus fuerit ſanitate, an vero aliquid jam ante doluerit, & quid, & ubi?

4) Tandem examinando accedimus ad ipſum morbi exordium, quis, & qualis primus morbi inſultus fuerit, quo die, & diei tempore? an proxime anteceſſerit aliquid extraordinarii, non conſueti in diæta, vivendi modo, occupationibus? an nihil ipſi

ægro

ægro occurrat, quod ipſimet videretur morbo anſam dediſſe?

Moneo hic, ne Medicus ægri narrationem ex facili interrumpat, donec illam ex toto abſolverit; fit enim, ut æger, continuis quæſtionibus ſollicitatus, & a tramite ſuæ narrationis abductus, multarum circumſtantiarum obliviſcatur, quæ tamen multum ad accuratiorem morbi ideam formandam conferrent; ſi vero morbi hiſtoria, ab ipſo ægro facta, manca appareat, eandem Medicus reſumere denuo debet, & debitas quæſtiones interponere. His peractis, in morbo præcipue acuto, ad actiones vitales, animales, & naturales oportet peculiariter attentum eſſe.

Perſequar hic aliqua paulo majori ſtudio, quæ nobis ex uſu fore, ferme quotidie videbitis, & quæ non ex vana ſpeculatione deſumpta ſunt, ſed experimento quotidiano confirmata, quæ maximam vobis facilitatem in dignoſcendo morbo, quem examinatis, ſi ea menti altius infixa, atque in conſuetudinem tracta teneatis, conciliabunt; etſi fors prima fronte has obſervatiunculas ad minutias potius, quam ad momentoſa præcepta pertinere videantur.

Præ-

Præmiſſis ergo iis, quæ ex ægri relatione haberi poſſunt, examinandæ ægrotantis functiones ſunt, quas inter motus cordis & arteriarum, primarium ſibi locum vendicant ab omni retro antiquitate. Non hic altius repetam, quæ de pulſu aliunde ſcitis; ſed ea ſolummodo, quæ ad praxin, ad morbi diagnoſin, recte inſtituendam frequentius occurrunt, & non ex hypotheſi aliqua, ſed ex obſervationibus deprompta ſunt. Circa pulſuum examen ſequentia notanda ſunt:

1) Pulſum fallaciſſimam rem eſſe; eum alium atque alium eſſe, prout ætas, ſexus, temperamentum, aſſumpta variant; alium ſedenti, alium cubanti, ſtanti alium; alium, ſi animus curis vacuus ſit, alium homini triſtato, ſollicito, & pro quovis animi affectu, pro quavis ferme attentiori cogitatione, alium aliumque. Hinc pro canone practico obſervetur: *nunquam indicatio formanda eſt ex ſolo pulſu;* dixi, ex *ſolo* pulſu; aut ſi omnia alia, quæ ad morbi cognitionem facere poſſint, medicum deſtituant, & ſolus ipſi pulſus ſuperſit, nunquam tamen ex hoc ſolo indicio Medicus magnum quid moliatur, nunquam anceps conſilium arripiat.

2) Utprimum medicus ægrum accedit, nunquam ſtatim pulſum exploret, aut ſi id fecerit, nunquam tamen aliquid de morbi natura concludat. Æger aſpectu medici, præcipue, ſi is prima vice accedat, & ignotus alias fuerit, territus, de ſententia medici circa ſuam valetudinem ſummopere ſuſpenſus, nihil certi pulſu ſuo nos docebit, ſed minus attentum medicum in errorem inducet.

3) Puerorum pulſum omnium fallaciſſimum eſſe, ſcire oportet; hinc pro regula practica aſſumi debet, *Pulſum puerorum nihil prorſus conferre ad morbi cognitionem.* Corpus puerile, aut magis infantile, cum totum quaſi nervus ſit, & vel leviſſimis ſtimulis hæc ſumma corpuſculi irritabilitas in motus inordinatiſſimos agatur, pulſuum mira varietas dabitur, ex qua nihil prorſus determines; accedit, quod ætatis incremento pulſus variet.

4) Pulſus in ſenibus, & rhythmo & tempore, univerſim omni modo inæqualis eſſe poteſt, intermittens, remittens, licet ſanitas huic ætati competens ſat belle ſubſiſtat. Hinc alius canon eſt: quod pulſus ſenum, utut inordinatus is fuerit, terrere

medicum non debeat, si cætera bona sint. Habuimus in nosocomio hominem senicu-lum erysipelate faciei laborantem, qui ad-mirabilem pulsuum varietatem nobis exhi-buit, tam in morbo ipso, valde levi, quam tempore sanitatis.

5) Sunt quidam morbi, ubi mira pul-suum varietas est, unde nihil cautus medi-cus concludere valet. Sic in morbis pulmo-num pulsus vix aliquid docet; securiorem & diagnosin & prognosin respiratio dat. Ex respiratione bona in morbis pectoris, qualiscunque tibi pulsus videatur, progno-sticon faustum formato, ait *Baglivius*. Viri hypochondriaci, fœminœ spasmis & passio-ni hystericæ obnoxiæ mille modis turbatos pulsus exhibent. Videmus ferme quotidie in ægris nostris, præcipue in puellis hyste-ricis, miram pulsuum variationem.

6) Serio notandum, non omnem pul-sum frequentem, vel celerem, propterea *febrilem* esse. Accidit non raro, ut post morbum gravem, diuturnumque, post præ-gressas evacuationes sanguineas admodum copiosas, arteriarum ictus sese celerrime insequantur, quin propterea febris adsit. Est hic effectus Keneangeiæ; ubi celeritas mo-

motus id compenſare debet, quod in quantitate deeſt. Hinc, ſi præter pulſuum celeritatem adſit calor præternaturalis, quem æger ipſemet ſentit, ſique inſuper quædam functio læſa ſit, febrim adeſſe credendum eſt. *Hippocrates* minus attentus ad pulſum videri ex eo poteſt, quod pulſuum mentionem perraro faciat; una alterave vice memorat *venas in temporibus valde ſalientes*. Poſterioris ævi medici, quos inter *Galenus* coryphæus erat, varia pulſuum nomina introduxere, quorum notitia ad hiſtoriam artis potius facit, quam ad ejusdem exercitium. Unicum *Celſum*, egregium imprimis inter antiquos ſcriptorem, de pulſu loquentem audiamus: l. 3. c. 6. ſic ait: *venis maxime credimus, fallaciſſimæ rei, quia ſæpe iſtæ lentiores, celerioresque ſunt, & ætate, & ſexu, & corporum natura.*

7) Cum ſupra dixeram, in dignoſcenda febre non ad *pulſum* ſolummodo; ſed & ad *calorem* animum advertere oportere, videndum eſt, quantum calori quoque tribuere poſſimus. Sed audiamus potius *Celſum*, uti in plerisque inſignem, ſic certe hic præſtantiſſimum; loco ſuperius citato ait: *altera res eſt, cui credimus, calor,*

æque fallax ; nam hic quoque excitatur æſtu, labore, ſomno, metu, ſollicitudine. Nos, dum ægros noſtros viſitamus, quosdam recens e ſomno expergefactos ſæpius deprehendimus, quorum corpus ſolito calidius eſt, cum pulſu pleniore, citatioreque, ita, ut imperitior quis febrietantem exiſtimaret eum, qui tamen apyretos eſt. Audiamus præcepta *Celſi*, qui prioribus ſequentia ſubjungit: *Igitur intueri quidem etiam iſta oportet, ſed his non omnia credere; nec protinus etiam ſub calore, motuque febrem ſeſe concipere: ſed ita, ſi ſumma quoque arida inæqualiter cutis eſt, ſi calor & in fronte eſt, & ex intimis præcordiis oritur, ſi ſpiritus ex naribus cum fervore prorumpit, ſi color aut rubore, aut pallore novo mutatus eſt, ſi oculi graves, aut & perſicci, aut ſubhumidi ſunt; ſi ſudor, cum ſit, inæqualis eſt; ſi venæ non æquis intervallis moventur; ob quam cauſam medicus neque in tenebris, neque a capite ægri debet reſidere, ſed illuſtri loco adverſus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perſpiciat.*

8) Pulſus mutabilis eſt, & variis in ſtomachi affectibus, præcipue a repletione,

&

& crudo primarum viarum apparatu. Mutabilis etiam eſt in pueris vel verminoſis, vel aliis quibuscunque ventriculi & inteſtinorum crudis ſordibus affectis.

9. Si feroces in parte quadam dolores ſæviant, pulſus fiunt parvi, exiles. In morbis ventriculi pariter evadunt parvi. Omnes, qui naturaliter ventriculo debiliori præditi ſunt, debiliores, & exiliores pulſus habent. Juvat hæc omnia ſcire, ut una cum aliis notis ſanum formare judicium poſſimus, aut ne pulſu decepti male ratiocinemur de morbo.

Alterum eſt, quod magnnm in dijudicando, aut prædicendo momentum habet, *Reſpiratio.* Nos theoriam reſpirationis miſſam facimus, idque ſolum leviter perſtringimus, cujus nobis multiplex uſus erit. *Hippocrates*, & tota ſchola Coa magis longe ad reſpirationem quam ad pulſum attendebant. Reſpiratio juxta ipſum maxime obſervanda eſt in omnibus morbis, præſertim acutis. Spiritus liber in acutis magnum prognoſticon pro ſalute ægri; item libro de *coacis prænotionibus* ait: reſpirationem denſam, id eſt, frequentem & parvam ſignificare inflammationem in locis princi-

 palibus,

palibus. Alibi asserit, respirationem frequentem & parvam dolorem aut inflammationem significare supra praecordia.

Respiratio parva & rara, futurae mortis signum est juxta *Duretum*.

Delirii proprium signum, non tamen inseparabile, est magna & rara respiratio; nam sola voluntas in vitio est; est enim aeger negligens sui, unde, nisi coactus, non respirat.

Qui cum libertate spirandi, & cum doloris acerbissimi notabilium partium vacatione, & somni benignitate interierit, Hippocrates vidit neminem, ait idem *Duretus* in coacas praenotiones.

Baglivius asserit, se centies observasse, quod bona respiratio in variolis sit unum ex optimis signis, licet alia sint gravia.

Pulsu & respiratione exploratis interrogandum, num quid doleat, & quae doloris illius species sit, an gravativus, an ardens, punctorius, premens, contorquens, continuus, periodicus, aut per intervalla rediens.

Notandum hic: 1) non omnem dolorem punctorium infra septum transversum, qui ad attactum augetur, propterea in-

inflammatorium esse, hinc non in omni dolore punctorio sanguinis missione opus esse, nisi cætera venæsectionem coindicent. 2) Notandus aphorismus sextus L. II. Hippocratis: *quicunque dolentes aliqua parte corporis, omnino dolores non sentiunt, iis mens ægrotat*, Item 3) aphorismus 33mus L. IV. *Si cui pars quædam doluerit, priusquam ægrotet, ibi firmatur morbus*. 4) Dolores, qui sine signis levantur, letales ait *Hippocrates* in *Coacis*. Hoc effatum Hippocratis toties verum comprobatum est, at tamen minus attenditur, quam oporteret. Dolores inflammatorii subito absque rationabili causa disparentes, certo præsentem gangrænam indicant, & mortem proximam; at dolores a solis spasmis oriundi sæpius subito cessanr, absque tam funesto eventu. Horum prævia notitia instructus medicus, facilius de statu ægri certior fiet.

His perspectis, videndum, qua ratione æger habeat circa somnum, & vigilias, circa sensus externos internosque. Contemplandus dein est externus corporis habitus, & actiones naturales. Multa indicant oculi, faciei color, lingua, os, appetitus, hypochondria, cardia, abdomen,

alvus, urina, excretiones quæcunque aliæ, quæ ipsi solemnes fuerant, an persistent, an vero suppressæ, an auctæ sint.

Oculos in acutis contemplari oportet, quoniam ex iis plurima leguntur. Juvat hic quædam *Hippocratis* effata adducere, ut sciamus, ad quid utilis esse oculorum consideratio possit. L. VII. aphorismo 81. ait *Hipp. Quibuscunque in ægritudinibus oculi ex voluntate lacrimantur, bonum; quibus vero citra voluntatem, malum.* Illud enim mentis præsentiam, hoc ejus absentiam denotat. In L. *Prædictionum* sequentia habentur graphice descripta de conditione oculorum in acutis: *si lucem fugiant, aut involuntarié lacrimentur, aut distorquentur, aut alter altero minor fiat, aut albas partes rubentes habeant, aut venulas lividas, aut nigras, aut lemæ ac sordes circa oculos appareant, aut hi etiam instabiles, aut eminentes, aut cavi vehementer facti, aut squallentes, & obscuri fuerint, aut color totius faciei alteratus fuerit, hæc omnia mala & perniciosa esse putandum est.*

Libro eodem ait: *oculos semper intueri oportet, si enim oculi frequenter moveantur, furiosos eos fore timor est.*

se-

In libro de coacis prænotionibus: *oculi assidue nictitantes, mali.*

L. 6. de morbis popularibus ait: *oculus inarescens malum.*

L. 1. Prædictionum: *Oculus hebes malus*; & ibidem: *oculus fixus & caliginosus malus.*

L. Prognost.: *oculi partes albas rubentes habentes, malum signum.*

L. VI. de morbis popularibus: *oculi audacia delirii signum.*

L. Prognosticorum: *in subapparitionibus oculorum in somnis, si albæ quid partis subapparuerit, palpebris non commissis, si id non ex alvi profluvio; aut medicamenti potione fuerit, aut æger ita dormire consuevit, malum signum, & valde letale.*

L. *de coacis prænotionibus ait: oculorum obscuratio, & vox acuta referens planctum, convulsorium est.* Et ibidem: *Quibus oculus morbi regii colore infectus, ac calignosus est, strepitu sputi multo in pectore existente, & facies tristis in pleuritide, hi pereunt.* Hujus effati veritatem nuper in Pleuritico vidimus in nosocomio nostro. Corporis sanitatem ac firmitatem Hippocrates ex oculis metitur; dicit enim:

oculi prout validi fuerint, ita etiam corpus. *Baglivius*, maximus obſervator, quem amor hypotheſium nunquam ſeduxit, qui omnem in obſervando vim poſuit, & qui juventutem ſuam penes ægros in variis Italiæ noſocomiis trivit, quem præmaturum fatum rei medicæ eripuit, is, inquam, ait: *nunqnam ab ægro diſcedas in acutis, & in inflammatoriis, niſi oculos inſpexeris; quando illos a naturali ſtatu mutatos videbis, time ſemper, ſicut poſt opiatum in dyſenteria, poſt chinam chinæ in magno primarum viarum apparatu.* Idem graviſſimus auctor aſſerit, oculos caligare, & obtenebrari in pectoris acutis morbis, letale eſſe, *Hollerius* vero affirmat, oculorum ruborem eſſe ſignum corrupti pulmonis, aut viſcerum e directo, cerebri quoque, & ventriculi inflammati.

Conſiderato oculorum ſtatu, ad faciem ejusque colorem medicus attendat; qua de re, ut ſanum judicium ferre poſſit, proderit quorundam aphoriſmorum meminiſſe, quos vel Hippocrates, vel illuſtres quidam Hippocratis ſectatores reliquerunt.

Facies optima, quæ ſanorum faciei eſt ſimillima, maxime vero ipſa ſibi ipſi.

L.

L. VI. de morbis popularibus dicit: facies bona in magnis morbis bonum.

L. de coacis prænotionibus: quibus facies ſana, præcordia non mollia, non liberantur citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut coxendicum dolorem.

L. III. de diæta, dicitur: qui faciem decolorem habent, & ubi comederint, paulo poſt eructant acida, & acor in nares proſerpit, his corpora pura non ſunt.

L. de coacis prænotionibus: faciei bonus color & torvitas in morbo acuto, malum. Item eodem loco habetur: circa faciem color bonus, & ſudores non febrientibus, ſtercora vetuſta ſubeſſe ſignificant, aut victus rationem inordinatam. Et ibidem denuo dicitur: qui faciem floridam habent, & alvum liquidiorem, ſuppurationes circa pulmonem habent.

Ne autem erremus, ſi malum faciei ſtatum videas, interrogare oportet ægrum, an nimium ante vigilaverit, aut diarrhæam aut famem paſſus ſit, quæ ſingula mutationem faciei in pejus faciunt.

Rubores narium ſigna ſunt ventris facile lubrici, ſigna quoque pulmonum aut iecoris, ut docet Hippocrates in coacis.

Bag-

Baglivius ait: in chronicis morbis, si facies naturalis sit, nunquam crede, adesse obstructiones in visceribus, si mutata sit a naturali, id obstructionum signum, & turbatæ œconomiæ naturalis est. *Jacotius* in coacas prænotiones ait: omnis rubor faciei vel sanguinis copiam, vel internam phlegmonem, vel calidam intemperiem, vel visceris corruptionem denotat; alvus dura esse solet iis, qui nimium facie rubent.

Accedimus ad examen oris, linguæ, faucium. Lingua nobis plurima indicat. Linguæ conditio nobis indicat:

1.) Statum partium vicinarum, connexarumque, faucium, tonsillarum, cavi narium, & totius membranæ Schneiderianæ morbos lingua significat. Sic in quavis anginæ specie, in coryza, in morbis non paucis gingivarum linguam videbitis affectam; qua autem ratione in singulis hisce morbis lingua affici soleat, penes lectos ægrorum videmus.

2) Lingua indicat statum primarum viarum, quemadmodum enim intestina affecta sunt, sic in morbis multis & ventriculus, sic & oesophagus, sic & ob nexum & partium continuitatem lingua ipsa. Crudus e. g. inte-

sti-

ſtinorum & meſenterii apparatus plerumque comitem habet etiam ventriculi ſaburram; hæc autem glutine ſuo, aut ſapore amaro, acido, auſtero, rancido, putrido afficiet oeſophagum, atque demum linguam. Hinc ſtatum primarum viarum lingua alba, mucoſa, flava ſemper loquitur.

3) Ex lingua diſcernimus perſæpe ſtatum aſperæ arteriæ, & conditionem pulmonum; hinc lingua alba, cruſtoſa, ſicca in inflammatione membranæ aſperam arteriam inveſtientis, ſive in *βρουχω* inflammatorio, item in peripneumonia & pleuritide. Linguam hac ratione affectam Hippocrates peculiariter *peripneumonicam* appellavit.

4) Ex lingua, ejusque colore ſtatum omnium humorum circulantium deſumimus perſæpe. Lingua concolor eſt attingentibus ipſum humoribus, quapropter per hanc humorem cognoſcimus. Ita *Hippocrates* libro 5. de morbis popularibus.

Obſervatio linguæ tanti momenti eſt, ut medicus omnibus aliis ſignis diagnoſticis longe facilius careret, hoc ſolo excepto. Conſideramus autem in lingua 1) ejus *colorem*, album, flavum, nigrum, vireſcentem, liveſcentem, 2) ejus *aſperitatem*, 3)

ejus

ejus *motionem* aut impotentiam, 4) *tremorem*, 5) *teneritudinem*, 6) *ariditatem*, 7) fiſſuras, ulcera, aut ulcuſcula linguæ. Vix in ulla re *Hippocrates* tam accuratus fuit, ſicut in linguæ diverſarumque ejusdem affectionum deſcriptione. Quid ex quavis linguæ affectione concludendum ſit, ſuo loco videbimus.

Dentes quoque multa ſignificant. Materies viſcoſa, & quidam quaſi lentores, ſignificant juxta *Hippocratem* febrem fortem. Dentes male affecti, arroſi, viſcoſa materie obliti, dentes non firmiter nexi, fœtor oris, pravam plerumque digeſtionem, primarum viarum morbos, & mala inde pendentia denotant.

His examinatis, ulterius progrediendum & inquirendum, num appetitus perſtet, an dejectus ſit; an nauſeæ, vomituritiones, cibi, & præprimis carnium faſtidium adſit; an peregrinus aſſumptorum ſapor, aut forte nullus; an ructus putridi, nidoroſi, acidi, auſteri, amari, nauſeoſo dulces ægrum moleſtent. Audiamus quasdam circa appetitum obſervationes:

1) In

1) In omnibus morbis, si viget appetitus, bonum; semper timeo in ægris inappetentiam, ait *Baglivius.*

2) Si post curatos morbos inappetentia remaneat, recidivam prædicito.

3) Nulla alia bona signa me exhilerant; nisi conjuncta sint cum appetentia, ait idem adcuratissimus observator.

4) Bonus appetitus bonam viscerum naturalium œconomiam denotat, unde semper bene sperandum, pergit idem hic auctor.

5) Si quis diu inappetens manserit, in gravem morbum incidet.

6) Non facile promittas felicem eventum, præcipue in chronicis, nisi fundamentum habeas in bono appetitu.

Tandem pergendum est ad hypochondriorum examen, hæc ut sana sint, debent esse mollia, indolentia, & æqualia ex utraque parte. In hypochondriis observatur *durities*, *tensio*, *inæqualitas*, *dolor*, *pulsatio*, *introtractio*, & eorum *tumor sublimis*, sive *meteorismus.* Inde discimus statum primarum viarum, vel viscerum in hypochondriis sitorum, hepatis ac lienis. Explorandа sunt præcordia, regio scrobiculi, num dolor, pondus, tumor, tensio adsit,

num

num augeantur hæc incommoda ad attactum. Veteres in examine hypochondriorum adcuratiſſimi fuere, unde varios nobis aphoriſmos reliquerunt, ubi ex hypochondriorum conditione morbi ideam venari medicus poteſt.

Urina & alvus medico multa nonnunquam ſuppeditant, quæ ad morbi cognitionem facere poſſunt. Non loquimur hic de illa multorum Pſeudomedicorum arte, qua, nullo alio ſigno, adjuti omnia ex urinis divinari ſatagunt; hæc enim dudum exploſa ſtultitia eſt. Verum tamen manet, multa per urinas cognoſci, ſi alia inſuper ſigna in auxilium vocentur. Urina ſanguinis ſtatum indicat; qualis ſanguis, talis & urina. In urina ſpectabimus *colorem*, *contenta*, *copiam*, *modumque*, quo mingitur. Color urinæ ruber & nimium ſaturatus non ſemper inflammationis præſentiam denotat; nam ſi adſit primarum viarum cachochylia, & crudus apparatus, urina ſæpe admodum rubra, aut coloris profunde rubri eſſe ſolet. Mingitur quoque in cruda hac ventriculi ac inteſtinorum ſaburra lotii hujus nimium ſaturati exigua quantitas, ſubinde cum dolore ſtrangurioſa, ita, ut imperi-

tiores

tiores ad diuretica exhibenda confugiant. Cavendum ergo, ne solo hoc intensiori rubore seductus medicus, de inflammatione cogitet, venasque imprudens secet, aut emollientibus antiphlogisticis, obviam ire nitatur. Si enim cum urina rubra adsint signa primarum viarum affectarum, lingua mucosa, alba, flava, dentes viscosi, sapor amarus, aut quisque alienus in ore, si ructus nauseosi, amari, acidi, quin & dulces ægrum molestent, si vomiturítiones, nauseæ cibique fastidium, si pondus gravans ad ventriculum, si hypochondria tensa sint, inæqualia, si abdomen tumidulum, borborygmis molestum, si lumborum simul adsit dolor, alvus stricta, flatus, si his omnibus aut plerisque simul junctis, adsint præterea noctu sudores nidorosi, fœtentes &c. si urina tunc sit saturatiori rubedine tincta, frequentiusque at parce mittatur, & subinde supprimatur, vel cum stranguria mittatur, solvere tunc oportet crudum viarum primarum apparatum medicamentis lenissimis, salinis, & deinde ea via, quæ commodissima & brevissima videtur, eundem ejicere. Hoc in casu quam plurimi errant errore non indifferenti, qui omnem uri-

nam rubram *inflammatoriam* esse putant. Venæ sectio nequaquam indifferens remedium est, quia latex vitalis per venæ sectionem profunditur, ut adeo admodum circumspecti esse debeamus, si vel venæ sectionem solummodo aut suadeamus, aut dissuadeamus; etsi fors non raro contingat, ut, ubi nescimus, quam in partem consulere debeamus, venæ sectionem imperemus, levi admodum brachio, eaque animi levitate, ac si innocentissimos lapides cancrorum præscriberemus. Urina ergo intensius rubra, cum signis gravati systematis gastrici aut intestinorum juncta, vel emetico vel purgantibus per epicrasin propinatis emendatur. At vero, ubi urina rubra, cum faucium linguæve siccitate, siti, cute arida æstuante, pulsuque aucto deprehenditur, vitium erit in humorum phlogosi; hinc venæ sectio, & methodus antiphlogistica valebit.

Audiamus adhuc quasdam *Hippocratis* de urina sententias, quas suo loco in memoriam revocabimus.

1) Urina tenuis ac biliosa, ac vix tenuem, ac exiguam subsidentiam habens, quæve modo in melius, modo in deterius muta-

mutatur, morbum longum fore indicat. Urina talis, qualis descripta est, sæpissime observatur post febres autumnales non bene curatas. Sunt, qui per annos plures tales urinas excernunt, tenues, biliosas, cum subsidentia exigua. Re bene examinata comperies, eos intermittente laborasse, inde vero & incommodis ventriculi, & hypochondriorum conflictari.

2) Urina subrubram & levem subsidentiam habens, in pleuriticis securam judicationem significat. Vidimus exemplum pleuritidis hac urinæ specie judicatæ.

3) Urinæ in peripneumonia crassæ in initio, deinde attenuatæ, letale.

Peracto ægri examine omnia in unum quasi collecta inter se combinentur, conferanturque, ut inde & morbi species, & judicium conveniens innotescat. Id adhuc notandum est, quod is maximum emolumentum, laborisque impensi præmium sit relaturus, qui omnia, quæ per ægroti ipsius narrationem, & ipso examine constiterunt, in chartam breviter, & succincte conjiciat, morbique progressum ac finem sedulo adnotet. Si enim plures, unius ejus-

demque morbi hiſtorias collegerit, easdem inter ſe comparaverit, canones practicos inde deducere, & aphorismos formare poteſt. Hæc erant præmittenda circa methodum inſtituendæ anamneſis, & examinis ægrorum.

SECTIO III.

MEDICINA
IN
CASIBUS INOPINATIS.

MEDICINA

IN

CASIBUS INOPINATIS.

I. *Submersi*. 1. Non valide concutiendus est. 2. Non suspendendus ex pedibus. 3. Venæsectio in vena jugulari. 4. Inflare aërem, vel fumum nicotianæ in pulmones ope follis, ore humano, fistula, & bronchotomia. 5. Inflare aërem simplicem, ope follis, fistularum tabaciarum. 6. Frictio, demtis vestibus madidis, & adpositis aliis siccis, & calefactis. 7. Situs capite modice elevato, seu, corpus sit in plano inclinato.

Moriuntur ob sufflamminatam pulmonum actionem; hæc autem aboletur ob

aquam in pulmones attractam, quæ tamen ibidem non ſub forma aquæ, ſed potius ſub forma ſpumæ deprehenditur; ſubinde tamen prorſus nihil eſt repertum in pulmonibus. Aqua in ventriculo aut nulla eſt aut ſaltem non nocet.

A ſufflata pulmonum actione *apoplexia*; hinc primo *peripneumonia*, dein *apoplexia* fit.

Inflatio oris pedetentim fiat, & cum levi thoracis alterna frictione.

Fumus nicotianæ ore retentus, per fiſtulam & in anum, & in pulmones poteſt immitti.

Nihil infundi in os debet, antequam iterum poſſit deglutire.

Naribus ſpirituoſa, item fumus nicotianæ adhibendus.

Diu pergendum, etſi jam adſint vitæ ſigna.

Corpus calefaciendum eſt calidis veſtibus, arena calefacta, ſale, cineribus; non autem cubiculo calefacto.

Deglutienti infuſum florum ſambuci cum oximelle ſquillitico dandum, item leve infuſum aromaticum.

Sub-

Subinde vomitus in jam resuscitato prodest, & vitam vacillantem confirmat.

Jam resuscitati diversimode debent tractari pro diversa affectione: subinde venæ sectio, subinde excitantia, subinde nervina indicantur.

Si sint & submersi, & frigore glaciali enecti, primo tractari debent ut *conglaciati*, de quibus postea, & dein ut *submersi.*

II. *Suspensi.* 1. Caute a fune liberandi. 2. Situs sit semierectus. 3. Vestes arctiores laxandæ. 4. V. S. jugularis. 5. Sanguine non fluente scarificatio ad nuchas, retro aures, ad tempora. 6. Facies aceto & aqua frigida conspergenda. 7. Inflare aërem calidum in pulmones, & si id per os fieri nequeat, fiat bronchotomia. 7. Acria enemata. 8. Aër ope follis in anum inflandus. 9. Moderata frictio. 10. Naribus spiritus volatiles admovendi, si modo incipiant vitæ signa dare; item acetum calidum, jusculum cum pauxillo vini, infusa leviter aromatica. Tandem pro ratione symptomatum supervenientium curandi.

III. *Recens nati apparenter mortui,* 1) a funiculo umbilicali, 2) ab ore uteri-

no ſtrangulati; 3) ob iniquum ſitum violenter verſi; 4) forcipe, vecte preſſi; 5) muco faucium ſuffocati; 6) partus diuturnus.

Horum ſtatus eſt *apoplecticus*; ſunt *ſugillati, lividi*, maxillis ſpaſtice compreſſis, aut vice verſa: meconium profunditur.

Omnia tentanda, ſi modo de vita paulo ante præſente conſtet.

Hinc 1) immiſſo in fauces digito mucus excipiendus, fauces irritandæ.

2) Alterna lævi thoracis & abdominis preſſio cum frictione.

3) Funiculi abſciſſio, ut mutatio circuli incipiat.

4) Mitti ſanguis debet ex funiculo abſciſſo, ad cochlear majus, vel duo, vel tria.

5) Sanguis ex funiculo deligando non eſt verſus infantem urgendus.

6) Aëris calidi in *pulmones* inflatio, item in *anum*.

7) Sæpe invertendus eſt infans, ut pronus ferme cubet, ut mucus excidat.

8) Plurimum prodeſt balneum calidum, ſubſpirituoſum, vinoſum.

9) Spirituoſa naribus.

10)

10) Infusum leviter aromaticum cum oxymelle squillitico deglutiendum.

11) Frictio tunc in resuscitato spirituosa.

12) Frictio placentæ pedum.

13) Suctio mammarum infantis.

At debiles, ob valetudinem matris prægressam, ob hæmorrhagiam, omnia priora petunt, excepta sanguinis missione.

IV. *Infantes suffocati stragulis.* Mos nutricum. 1) Tunc venæ sectio jugularis. 2) Inflatio aëris in *pulmones* & *anum*. 3) Pressio alterna abdominis & thoracis. 4) Omnia prius enarrata. 5) Oxymel squilliticum cum infuso sambuci.

V. *Suffocati vaporibus carbonum*, fermentantis vini, cerevisiæ, hydromellis, aceti: tunc 1) Aeris puritas & libertas requiritur, ægri auferendi, aut portæ aperiendæ. 2) Venæ sectio, spiritus salis ammoniaci ad nares, ut faucium ac maxillæ spasmus solvatur. 4) Inflare aërem, aut bronchotomia. 5) Faciem conspergere aqua, & aceto frigido. 6) Frictiones. 7) Scarificatio nuchæ. 8) Inflare aërem aut fumum nicotianæ in anum. 9) Acria enemata. 10)

Inter-

Interne ſpiritus ſalis ammoniaci dilutus, & analeptica.

VI. Si ſint *vapores putridi*, noſocomiorum, cryptarum, cloacarum, puteorum, cellarum &c., tunc emendandi hi vapores exploſo ſclopeto, accenſo ſulphure, aceto accenſo; tunc etiam prius nominata proſunt, & ipecacuanha, aut vitriolum album; item poſca frigide pota, limonada.

Aegri ex cryptis extrahendi 1) Inſtrumentis. 2) Prius exploſo ſclopeto. 3) Ab homine, qui pannis aceto madidis, & ori obvolutus ingreditur.

Tamdiu non eſt tutum ejusmodi cryptas aut loca concluſa ingredi, quamdiu injectus ignis, aut ardens candela extinguitur.

Prodeſt quoque ejusmodi loca luſtrare affuſo lixivio ex aqua, cineribus, calce, ſale communi parato; item fumo accenſi aceti, accenſo pulvere pyrio, accenſo ſulphure.

Quod ſi quis ingredi debeat locum vaporibus vini fermentantis plenum, is prius pannum ori obvolvat alcalino lixivio madidum, adjecto ſpiritu vitrioli dulci.

Noſocomiorum aër ingredientibus non nocet, ſi aceto accenſo luſtretur; idem illi ob-

obſervent, qui inter cadavera debent multum, & diu morari.

Vapores volatiſſimi rerum grate odoriferarum irritabiles homines ſæpe lædunt, inde leipothymia & mors. Odor florum &c. Prodeſt tunc 1) aër renovatus: 2) odor inopinatus aliarum rerum e. g. aſæ fœtidæ, accenſæ ungulæ, pilorum accenſorum fœtor, item plumarum, corii, allii odor; camphora.

Vapores metallici multos ſuffocant; eadem præſidia hic locum habent, quæ ſupra commemorata, ubi de periculo carbonum, vini fermentantis dictum eſt; verum his auxiliis præmiſſis promptum emeticum indicatur; ipecacuanha, vitriolum album; infuſum nicotianæ ano injectum.

Vapores plumbi enervat victus ex butyro, & aliis pinguibus, vomitio, purgatio.

VII. *Venena.* Venenum ſubinde hauritur ex improviſo; arſenicum, mercurialia acriora, mercurius ſublimatus corroſivus, viride æris ex vaſis cupreis, cobaltum, ſmaltum, nux vomica, cicuta aquatica, hyoſciamum, opium, aliaque plura.

Ut

Ut determines, quid potissimum agere oporteat in veneno quoque etiam ignoto, (sæpe enim id ignoramus,) necessum est effectus *multiplices* assumpti veneni considerare. Vel enim 1) mox ab assumpto veneno adest vomitio, ardor oris, faucium, œsophagi, ventriculi, abdominis dirus, item dejectio cruenta; brevi tunc singultus, sudor mortualis, & ipsa mors sequi solet.

Si venenum assumptum prædita ratione agere incipiat, tunc illico 1) copiosus potus mucilaginosus sumatur ex jusculis carneis, lacte, butyro, oleo; pluris hæc sunt, quam simplex aqua. 2) Enemata oleosa, emollientia, fomenta tepida abdominis, & semicupia. 3) Cave cane pejus & angue ab emetico, nisi forte statim rescias, te venenum assumsisse, ita, ut emetico id possis excutere, priusquam illud acerrima, & rodente vi agere incipiat; verum tunc plumula, oleo, excitari debet 4 Subinde & venæ sectio indicatur, indirecte quidem.

Venena vegetabilia facilius & tutius dato emetico excutiuntur, quam venena acria, rodentia, chemica.

In aſſumpto arſenico, mercurio corroſivo, ærugine æris, potus ſit lixivioſus, ex aqua communi & ſapone veneto, vel & ſimplicius ex aqua & ſale tartari, lixivium cinerum communium cum lacte.

Mercurius inunctus intempeſtive, & nimia doſi in lue, contra pediculos, ſcabiem, tormina gravia, vomitum, ſpeciem dyſenteriæ &c. tunc potus lactei, tepidi, mucilagines, & balnea tepida.

Venena *narcotica* vegetabilia 1) requirunt venæ ſectionem, cum vim habeant apoplexiferam. 2) Generoſum emeticum. 3) Acida vegetabilia. Talia venena ſunt opium, belladonna, hyoſciamus, & multa alia. Mors eſt ſicut in apoplexia ſanguinea, pulſus fortis, plenus, tardus, reſpiratio lenta, difficilis, ſopor &c.

Mallem mediante injectione, vel tubulo ſolutionem vitrioli albi in ventriculum demittere, vel eandem in anum injicere, quam decoctum nicotianæ, cum ipſum quoque ſit narcoticum; acria alia præplacent.

Narcotica venena etiam nocent ſolo odore ſuo viroſo: ſi quis e. g. diu verſetur aut dormiat in tali loco. Eadem medela eſt.

Ve-

Venena alia quædam in vias agunt urinarias e. g. cantharides, ardorem, mictum cruentum inducentia. Balnea; emulſa tepida; venæ ſectio.

Acida mineralia concentrata per errorem epota, enervantur potu multo aquoſo, & mucilaginoſo, item lixivioſo.

Fungi, præcipue venenati, ova putrida, carnes putridæ comeſtæ inſtar veneni agunt; tunc emeſis ſola prodeſt; & acida, e. g. poſca, acetum.

Acus deglutita poſcit potus acidos, ut ea brevi obducatur rubigine, præcipue in apice; item, cremores, pultes; cremores & pultes valent etiam in deglutitis fruſtulis vitri; periculoſum eſſet evacuans.

In morſu canis rabidi: 1) ure locum demorſum, aut muria ſalis communis illum ablue. 2) Totum membrum fove fomento oleoſo. 3) Cura nervina, moſcho, camphora; 4) Veſicantibus largis; 5) mercurio, 6) ſpecificis.

Vene-

Veneni inſtar agit ſubinde frumentum recenter collectum, nec bene ſiccatum; oritur ſenſus formicationis in artubus, contracturæ, & convulſivæ contractiones digitorum, cum rigiditate immobili per omnem ſæpe vitam; convulſiones, mors. Meſſe finita inter ruſticos, eosque pauperiores hic morbus ſubinde obſervatur. Curatur 1) pane meliore, paratoque ex farina melioris frumenti; 2) emeſi validiore, iterata, præmiſſis ſolventibus, reſolventibus; 3) balneis; 4) camphora; 5) ferulaceis, amaris.

VIII. Aliud mortis genus eſt illorum, qui bolo intra œſophagum hærente incipiunt ſuffocari. Moriuntur ideo, quod bolus hærens urgeat aſperam arteriam antrorſum, eaque ferme compreſſa ſpiritum intercludat, vel quod œſophagus irritatus ab hærente bolo in conſenſum ſimul trahat caput aſperæ arteriæ, & rima glottidis æque ſpaſtice contracta claudatur.

Fit in pueris voracibus, clanculum vorantibus, item ſi globulis ludant, eosque

ore volvant; item ſi inter manducandum rideant, loquantur; ſi boli medicamentoſi propinentur. Piſces pueris non dentur.

Cura fit per chirurgum, qui hamulo, forcipe, aut aliis inſtrumentis, hærentem bolum excipit vel detrudit.

At chirurgo non præſente alii rem adgredi debent; mediante *cereo tenuiori* detrudendum corpus hærens eſt in ventriculum.

Commeſtibilia corpora potius *detrudenda* ſunt, quam *extrahenda*. At non commeſtibilia & ſimul ventriculo inimica in caſu neceſſitatis tamen ſunt detrudenda in ventriculum; æger vero tractandus eſt tanquam is, cui venenum datum eſt.

Potus ſimul *lubricantes* dandi. Pulſandum dorſum eſt, ut hærens corpus in motum ducatur; carpento per ſtrata viarum, eoque rudi, vehendus eſt æger motu pernici.

Si

Si nil profeceris, & metus ſit præſentis ſuffocationis, tunc 1) venæ ſectio larga; 2) emeticum promptum, ſolutio nempe tartari emetici, aut vitrioli albi, faucibus ſimul irritatis; 3) enema ex fumo nicotianæ, aut ejus infuſo. 4) Vomitus fuit factus infuſione in ipſas venas emetica.

IX. *Conglaciati* (Erfrorne) ſæpe & præ aliis in vitam revocantur, & poſt complures dies. Hoc ut obtineas, 1) cave, ne in locum calidum ægrum deportes, tunc enim gangræna & mors. Exemplum a pyris & pomis conglaciatis. Revocati diutius a loco calido abſtineant. 2) Conciliari *levior* paulo frigoris gradus debet, quam is ſit, qui hominem enecavit, atque ita, per gradus & ſenſim, priſtinus calor concilietur; 3) hinc in cubiculum frigidum hominem deducas, ibique exutum involve nivibus, aut impone balneo frigido glaciali. 4) Lenes frictiones mediante nive, aqua glaciali. 5) Si in itinere id contingat, ubi ſub tectum reduci æger nequit, ſub dio totum erit peragendum, & corpus tunc fricandum; 6) redeunte vita venæ ſectio, & antiphlogiſtica metho-

dus indicatur; 7) univerſim poſtea ita tractandi, uti ſolent inflammati, uti in apoplexia ſanguinea, aut vera pulmonum inflammatione. 8) Si ſolum pars corporis, auriculæ, naſus, pedes, aut pedum digiti vim frigoris patiantur; opus, 1) abſtinere ab unquentis, emplaſtris; 2) fricare aqua frigida, nive; 3) ſubinde venæ ſectio.

Caveant itinerantes, ruſtici præcipue, 1) a potu vini, ſpirituum ardentium; 2) a quiete ob laſſitudinem; 3) a ſomno capiendo; qui indormit, certo perit.

X. *Fulmine tacti*, mortem, ſi negligantur, apoplecticam obeunt, ſugillationes patiuntur.

Eadem ratione in vitam revocandi ſunt, ac ſuſpenſi, ac ſuffocati fumo carbonum &c. 1) Venæ ſectio jugularis; 2) inflatio aëris in pulmones, anum; 3) enemata nicotianæ; 4) frictio; 5) tandem nervina, ſi revivixerint.

XI.

XI. *Ex alto delapsis*, & apparenter mortuis larga venæ ſectio jugularis, & reliqua prius nominata. Acetum ſambuci cum ejusdem infuſo; infuſum florum arnicæ, venæ ſectio.

XII. *Ebrii* ſubinde habentur tanquam apoplectici. Ebrietas ſumma in apoplexiam tranſit. Ejusmodi apoplexia curatur: 1) evacuatione ſyſtematis ſanguiferi; 2) ſyſtematis gaſtrici, uti in aſſumpto veneno narcotico; venæ ſectio, irritatio faucium ad vomitum, emeticum. Potus aquæ ſimplicis cum abſorbentibus. Cavendum tamen, ne medicus *Ebrium* pro apoplectico habeat, ne ſeſe riſui exponat.

XIII. *Ira* gravis, quam Poëta *brevem furorem* nominavit, homines apoplecticos reddit. Tum 1) ſumma rarefactio, & 2) eorum impetus ad caput. Venæ ſectio; poſca; deinde levis diarrhæa, aut vomitio prodeſt; os etiamamareſcit.

XIV. *Terror* epilepticos, convulſos facit, maxime infantes. Spiritus cornu

cevri ſimplex & aniſatus, frictiones, balnea tepida. Peſſima eſt epilepſia a terrore.

XV. *Epilepticis* ferendum auxilium; aër liber; cautela, ne lædantur in pavimento, ne linguam commordeant; robuſtis vero venæ ſectio. Digiti non violenter exporrigendi, uti tamen mos eſt.

SECTIO IV.

QUÆDAM
AD MEDICINAM FORENSEM
PERTINENTIA.

Quædam
AD MEDICINAM FORENSEM
Pertinentia.

Partus maturus.

Ad ſolvendas plures quæſtiones, hæreditatem utplurimum concernentes, plurima erunt notanda; & ſequentes quæſtiones præmittendæ ſunt; ſcilicet:

1. Quinam termini ſunt graviditatis, aut intra quantum temporis maturus partus fieri poteſt? Reſpondeo: intra 38vam ſeptimanam usque ad 40mam.

2. Quando partus præmaturus dicitur? Reſp. Tunc, quando ante 38vam fœtus excluditur,

ditur, is tamen fœtus ſtatus ſit, ut, cura diligenti habita, vita ejus prolongari poſſit.

3. Cauſæ partus præmaturi multiplices quæ? Reſpondeo: terror, animi pathema grave, hæmorrhagiæ, uteri præprimis morbus tempore graviditatis; nativa imbecillitas; diuturnus fluor albus, & chloroſis; frequentiores & intempeſtivæ venæ ſectiones; purgantia crebriora; emenagoga; plethora, febris, vis externa; vomitus multus violentus &c.

4. Quandonam abortus dicitur? Reſpondeo: ubi vita, utut omni adhibita diligentia, non poteſt continuari ob nimis imperfectam pro vitæ continuatione corporis evolutionem. Id fit ante ſeptimum menſem. Hinc fœtus ſeptimeſtris eſt vitalis cenſendus, ſive dein vitam actu protrahat, ſive poſtmodum vivere deſinat: ſufficit fœtum vivere poſſe. Hinc ſeptimeſtris fœtus, & magis adhuc octomeſtris fieri poteſt hæreditatis capax; diceturque non *abortus*, ſed partus præmaturus. Hinc ſcitur, quid ſit *partus vitalis* & *non vitalis*.

5. Quæritur, quæ ſit diſtinctio quoad functiones & ſigna externa inter fœtum

maturo

maturo partu, & fœtum præmaturo partu exclusum?

Fœtus maturus ex sequentibus dignoscitur; scilicet: pondus maturi fœtus est a libris VI. ad IX., pro ratione magnitudinis parentum, vel ipsius nationis. Infantes recens nati, populorum maxime septentrionalium, minus ponderant, & statura multo sunt minores, quam nostris in terris; apud nos enim longitudo recens nati & maturi infantis est a 15 pollicibus ad 21; infra 14. pollicem apud nos fœtus est immaturus.

Color corporis maturi infantis est dilute rubescens; corpus infantis immaturi intense rubet, cum livore; plantæ pedum præcipue, & volæ manuum purpurascunt.

Infans immaturus pilos habet, & in genis & per dorsum multo plures & majores, quam maturus.

Infans maturus corpore est pinguiculo, pulchro, & ad attactum solidiusculo; immaturus infans macilentus est, rugosus, & senili facie; membra attenuata, macra, aures diaphanæ, & lingua prærubra.

Infans præterea immaturus, & masculus, testiculos habet, vel in abdomine adhuc reconditos, vel hærentes in inguine;

matu-

maturus vero in ſcroto, rarius in abdomine aut inguinibus.

Ungues infantis maturi ſunt duriores, minus flexibiles, prælongi, & rubentes; immaturi infantis ungues breves ſunt, vix lineam longi, extremum articulum non penitus degunt, purpuraſcunt.

Fontanella minus ampla in maturo infante, ampla valde in immaturis. Capilli capitis in mortuo ſunt craſſi, & obſcuri coloris; in immaturo vero molles, teneri, albi, ad inſtar cannabis.

Maturus infans oculos ſtatim attollit, circumfert; vox elata, & vagitus fortes; mammas apprehendit. Immaturus autem oculos ferme ſemper clauſos habet, dormit perpetuo ferme. Valde immaturi habent adhuc pelliculam illam *Wachendorfianam* dictam, quæ pupillam claudit; nullum, niſi perobſcurum vagitum edit; extrema frigent ob vim vitæ admodum debilem; nec minimum frigidioris aëris contactum impune fert; hinc ejusmodi fœtus immaturi multo calore foveri debent.

Diverſi perfectionis aut imperfectionis gradus ſunt. Interim ii ſolum poſſunt juxta obſervationes vitam continuare, quibus duo

duo tantum menſes ad perfectam maturitatem deſunt. Hinc vitalitas incipit menſe ſeptimo finito, aut prope finito; hinc etiam hic incipiunt eſſe hæreditatum capaces, & *verum infanticidium* primum fit in fœtu ſeptimeſtri excluſo, non autem in per abortum non procuratum excluſo.

Ludwigius vitalem etiam pronuntiat eum, qui *initio* ſeptimi menſis natus eſt.

6. Quomodo ſcitur fœtum excluſum fuiſſe ſeptimeſtrem, caſu, quo is poſt partum fuiſſet mortuus, & de hæreditatis capacitate quæreretur?

R. Vitalis fœtus reſpirationis effectus prodit: 1) Aliquo vagitu; 2) Suctione papillæ. 3) Aſſumptione fluidi oblati. Ex temporis computo vix certi quid poteſt definiri.

7. Partus ſerotinus, quousque extenditur? Leges viduis hac in re favent; ſerioris partus exempla proſtant; leguntur exempla trideci meſtris fœtus. Conſuetudo varia; ad 11mum, 12mum, quin & 13mum menſem ſubinde prorogatur. Idque variat in diverſis regionibus.

8. Quæſtiones juridicæ hæ ſunt: 1) An fœtus excluſus maturus ſit, nec ne?

Sig-

Signa diagnoftica fupra dedi; 2) Si immaturus, an tamen vitalis cenfendus fit, id eft capax vitæ continuandæ, five continuaverit dein, five non, id eft, an capax fit hæreditatis? quæftio ex fupra dictis folvitur; 3) an fœtus fit 1mo. poft patris mortem menfe exclufus fit filius defuncti legitimus? 4) an fœtus exclufus ante tempus, & dein occifus per matrem, eam fecerit infanticidam.

Sed & de fœtu maturo quæftio juridica multiplex moveri poteft; fcilicet: 1) an fœtus vivat actu, ob exiguam vitæ fcintillam? dubitatio hæc movetur ob baptisma; 2) An, fi non vivat actu, tamen antea vixerit? etiam id fcire opus eft fæpe; figna afferemus alibi, unde defumi debet, adfuiffe vitam.

Verumtamen non tantum de vita fœtus quæritur, fed etiam de ejus fexu; fecundum longitudinem quafi diftenta urethra virilis vulvam mentitur, & prominens clitoris penem.

An monftrofus fœtus baptifari debet? an monftrofus fœtus jure bene formati hominis gaudet?

Abor-

Abortus procuratus.

His perpenſis gradum faciemus ad aliud medicinæ forenſis caput; agemus de vario homicidio, & vis illatæ æſtimatione. Exordium fiat a ſpecie quadam homicidii, cum gravida fœtum adhuc immaturum quaçunque ratione occidit, procurando abortum.

Abortum diximus, immaturi fœtus, qui vitam continuare ob defectum ſufficientis evolutionis non poteſt, excluſionem.

Abortus ſæpe absque matris culpa fit; ſubinde vero ſtudio procuratur, tuncque res ad judicem defertur. Multæ hodiedum matres ſunt, apud quas abortus procuratio impunis eſſe ſolet, atque multum uſitata.

Ultimis reipublicæ romanæ temporibus, & magis adhuc ſub primis Romanorum imperatoribus, vigente paganismo, matronæ abortum ſolebant procurare, ne incommoda diuturnioris graviditatis, partus, & educationis ſubire cogantur.

Abortum procurat vel ipſa gravida, vel alius quis, qui abortiendi anſam ſuppeditat.

Duplex

Duplex modus eſt occidendi fœtum immaturum; ſcilicet: 1) ſiquis, vel quædam fœtum in utero adhuc concluſum enecet; eritque proprie *aborticidium*; fœtus in utero mortuus brevi excluditur: rariſſima exempla ſunt fœtuum mortuorum per multos adhuc annos in utero geſtatorum, tandemque excretorum. Vel 2) ſi quis vel quædam fœtum data opera ante tempus vivum ex utero, tanquam ex ſuo domicilio exturbet, ubi, etiamſi per aliquot momenta vivat, vel & per horam, ac ultra, tamen neceſſario peribit.

Videamus primum modum occidendi fœtum in utero ipſo materno. Notum erat vel ipſis antiquis inſtrumentum, quod embryosphacten appellabant: quaſi diceres *Embryonum occiſorem*, cujus ope, nefandum certe, & execrabile ſcelus, innocentulum infantem occiderunt, cum id intra ipſum uterum adigerent. *Brendel* in *Eph. N. C.* de ancilla narrat, que acutum ſtylum ferreum intra uterum immiſit, & fœtum ſeque ipſam, cum uterum læderet, occidit. *Schurius* narrat, infantem in utero matris exiſtentem fulmine fuiſſe occiſum, illæſa matre. Quid, ſi nefaſta manus fulmine

mine artificiali uteretur, igne videlicet electrico, cujus ictus matrem haud læderet, attamen infantem enecaret.

Vis externa illata, compressio, lædere fœtum, quin & occidere potest.

Fors medicamenta, aut quædam venena dari possunt, quæ matri non, aut perparum, attamen fœtui nocent, eumque occidunt; illa præcipue venena, quæ reliquis intactis, sanguinem petunt illico.

Fœtum, saltem indirecte, occidit nutritio subducta infantis, quod fit: 1) multis venæ sectionibus; 2) lactando nimis diu; 3) inedia; 4) salivatione.

Nosse quoque juvat nefandas methodos abortum procurandi, ut, si id contigerit, de eodem aptius decidamus.

Abortum ergo procurat lapsus, ictus, verbera ad abdomen, lumbos, dorsum &c. vomitus drasticis concitatus; sternutatio frequentissima, & violenta, qualem facere solet euphorbium; risus, tussis, clamor, saltus, vis electrica; ponderum elevatio, stranguria, tenesmus, alvus dura; arcti thoraculi, emenagoga, (an talia dantur)? Abortum faciunt ea omnia, quæ sanguinem copiosius invitant ad uterum, ejusque

X vasa

vaſa relaxant e. g. ſemicupia, clysmata emollientia, & injectiones tepidæ.

Ancillæ ruſticanæ venam in pede ſecant, ut ſanguinem ad uterum invitent; dubitatur de hac ſpecie derivationis. Compreſſio *arteriarum* cruralium, ut ſic minus ſanguinis feratur ad extremos pedes, & plus ad vaſa uteri vicina, quam methodum menſtrua reſtituendi *Hamilton* in obſervationibus Edinburgenſium deſcripſit. Equitatio multum ſanguinis ad partes genitales derivat. Irritatio quævis uteri, aut partium utero vicinarum, frictio ſcilicet pudendorum, irritatio oſculi uterini, frictio abdominis; draſticum purgans ex aloë, reſina jalappæ, colocynthide, ſcammoneo. Item diuretica, maxime cantharides. Frigus; peſſi acres, quos ad expellendas ſecundinas *Hippocrates* ſuaſit. Coitus frequentior tempore graviditatis, teſte *Manningham*, abortum ſæpe facit. Vigiliæ, iræ, terror; hyſteria-

Tempus, quo facillime abortus præ alio quocunque tempore procurari poteſt, eſt, teſte *Hallero*, circa tertium menſem, ubi bis jam legitima menſtrui ſanguinis excretio ceſſavit.

Con-

Contingit, ut perſona quædam judici deferatur, vel, quod ipſa abortum procurarit ſibi ipſi, vel alteri vim intulerit, aut remedia abortiva propinarit; hinc variæ quæſtiones naſcuntur:

1ma eſt, an re ipſa perſona accuſata fœtum immaturum ediderit, nec ne; an ſcilicet non fuerit mola.

2da, ſi abortiverit hæc perſona, an abortus hic ſequebatur ex actibus ſtudioſe poſitis, vel vero ex cauſis involuntariis, & inevitabilibus.

3tia, quod ſi conſtet, cauſas abortus ab ipſa gravida ſtudioſe poſitas eſſe, quæritur, an eæ cauſæ fuerint tales, ut *neceſſario* poſt ſe abortum traxerint.

4ta, ſi certæ actiones abortum cauſſarunt, an gravida has actiones poſuit ex ignorantia, inadvertentia, caſu fortuito, vel vero animo malo, & abortum procurare ſtudioſe volente?

5ta, an eo tempore, quo gravida ſibi abortum conſciverat, an, inquam, eo tempore fœtus jam erat animatus? Hæ ſunt quæſtiones, ad quas ſingillatim reſpondebimus.

Ad 1mam quæſtionem, an re ipſa perſona abortiverit, reſpondeo: 1) probari abortum ex ipſo corpore delicti, ſive fœtu excreto; 2) ex ſignis graviditatis aliunde petendis, quæ antea adfuiſſe conſtat, nunc vero deſunt; 3) ex doloribus partus, qui etiam in abortientibus iidem ſunt. Cave ne ſuppreſſa menſtrua, & abdomen inde tumidum, ortum demum ſanguinis ex utero profluvium, & mola excluſa abortum mentiatur. Signa graviditatis alibi dabimus.

Ad 2dam quæſtionem, an abortus ſit effectus pravarum artium, an vero effectus cauſſarum inevitabilium, reſpondeo: id determinari ex aſpectu fœtus abortivi vix, aut nunquam poſſe, niſi forte vi valida, & percuſſione in gravidæ abdomen facta, veſtigium quoque in fœtu deprehendatur, aut niſi gravida ipſa, ope inſtrumenti, in proprium fœtum ſævierit. Reliqui modi abortum procurandi nulla in ipſo fœtus corpore læſionis veſtigia relinquunt. Interim magna probabilitas abortus procurati *ſtudio* dataque opera naſcitur ex ſequentibus.

1) Si perſona accuſata ſigna graviditatis antea habuit, quæ ipſa occultare conabatur.

2)

2) Si hinc inde conquisiverit methodos varias abortum procurandi.

3) Si insolitos quosdam, gravesque peregerit labores, quos antea renuebat, uti, si gravia onera gestavit; saltus; equitatio.

4) Si absque sufficiente ratione, medico non consulto, venam sibi secuerit, idque maxime in pede,

5) Si intempestive a chirurgis, apothecariis, sæpius *fortia*, *emmenagoga* petierit.

6) Si ejusdem remediis fuerit clam usa.

7) Si emetica valida, & purgantia sæpius absque sufficiente ratione assumpserat, & non consulto medico.

Ad 3tiam quæstionem, an nempe abortus ex hac vel illa causa necessario debuerit sequi, respondeo: nullam esse causam, qua posita necessario debeat abortus sequi, nisi si ipsam, mediante stylo ferreo, in utero occisionem excipias.

Sed & 4ta quæstio difficillime solvitur, an nempe gravida causas has abortivas posuerit studio, & intentione directa fœtum occidendi, vel an ex inadvertentia; hæc disquisitio magis ad judicem pertinet.

Ultima quæſtio medicum maxime concernit, an nempe fœtus eo tempore, quo mater abortum tentabat, vixerit? Determinatio pœnæ inde dependet, cum, ſi fœtus nondum vixerit, procuratus fœtus mortui abortus pœna careat; præterea, ſi fœtus antea vivens, nunc in utero matris moriatur, abortus poſtmodum procuratus pariter imputari matri nequit.

Cum Philoſophi peripatetici recentiores ſtatuerint, fœtum non omni graviditatis tempore animatum eſſe, ſed animum in ipſum ſerius transfundi, ſtatutum in jure criminali Cæſaris Caroli V., ut capitis pœna plectatur is, qui, vel quæ, poſtquam fœtus jam fuerit animatus, eundem abortu procurando abegerit; ſecus vero & mitius agatur cum ea, quæ fœtum expulerit nondum animatum. Quid ergo de tempore, quo animari fœtus debet, ſtatuendum? Reſpondeo: fœtum a primo conceptionis momento vita gaudere, hinc quocunque graviditatis tempore verum re ipſa homicidium fieri. Interim, cum hæc fœtus vita nullis ſignis externis prodatur, niſi poſt 16. ſeptimanam, aut circa 20mam, ubi tener fœtus motus muſculares exercet, matri ſat per-

cep-

ceptibiles, conſtabit tunc *certo* & luculenter fœtum abortus tempore vixiſſe. Sed unde aut medicus, aut judex ſciet, fœtum jam edidiſſe motus? an ſufficiet abortientis confeſſio, cum ſpasmi, tormina, flatus toties fœminis imponant pro motu fœtus in utero? Reſpondeo: ſolam abortientis confeſſionem utique non ſufficere; inſpici fœtum ipſum abortu excluſum debere; ſi enim is ſit expers putredinis, ſi & pondus, & longitudinem habeat, quam plerumque menſe graviditatis quinto in fœtu deprehendimus, ſi forte excluſus fœtus jam reſpirationem unam alteramve peregiſſet, ut pulmo aquæ jam innatare deprehendatur, fœtum abortus tempore vere vixiſſe, & aborticidium fuiſſe commiſſum, ſtatuendum foret. An non ſufficit progreſſus graviditatis ad demonſtrandam vitam fœtus, etſi nulli adhuc motus ſentiantur? Reſpondeo: non; quia paulo ante abortum procuratum fœtus poteſt eſſe mortuus.

Ex his rationibus perſona quædam, quæ vel ſibi, vel alteri abortum procuravit infra nonam ſeptimanam, a pœna capitis abſolvitur; quæ vero poſt dimidium graviditatis tempus ſtudio ſibi abortum con-

ſcivit, ſi modo de fœtus vita ante abortum ſufficienter conſtet, capitis ſupplicium incurrit.

An nullo in caſu promovere abortum licet? quid ſi hæmorrhagia adſit ex ſoluta alicubi placenta, an obſtetricanti procurare abortum non licet? Reſpondeo: non licet abortum procurare, ſed abortum imminentem, & incipientem, ſervandæ matris gratia, licebit accelerare.

Infanticidium.

Hucusque de aborticidio, nunc de infanticidio. Ut juſta in infanticidam inquiſitio fiat, inquirendum eſt:

1) In graviditatem, ejusque ſigna, an perſona accuſata re ipſa fuerit gravida?

2) Inquirendum eſt, an perſona accuſata eos characteres exhibeat, quibus puerperæ dignoſcuntur?

3) Inquirendum eſt in ipſum corpus delicti, ſive infantem occiſum.

Quod ipſum infantem mortuum concernit, quæritur: 1) An morte violenta obierit? 2) Quodſi morte violenta obierit, qua *mortis ſpecie* obierit? 3) An mors in-

fan-

ſantis hujus neceſſario actioni cuidam puerperæ debetur, an vero etiam ſequi per ſe, & ex cauſis inevitabilibus potuiſſet? 4) Et ſi infans absque illata vi fuerit mortuus, quæritur, an adhibita diligentia non potuiſſet a morte præſervari?

Ad ſolvendam primam quæſtionem, an ſcilicet infans fuerit mortuus violenta morte, inquirendum eſt in ſigna læſionis. Interim non omnia læſionis ſigna, uti ſunt vulnera, ictus, rupturæ, contuſiones, violentam mortem indicant; quippe ſi vulnus ictusque absque ſugillatione ſit, & absque inflammatione, læſio non vivo fœtui, ſed jam antea mortuo erat illata. Hoc diſcrimen inter vulnera homini viventi adhuc aut jam mortuo inflicta, *Paræus* & *Zachias* dudum obſervarunt.

Sed ponamus, ex ipſo læſionum externo habitu conſtare, viventi fœtui illatam vim eſſe, tamen alia naſcitur quæſtio, an ſcilicet ante, vel in, vel poſt partum vis hæc & mors violenta fuerit illata?

Ante partum vulnera capitis præcipue infligi poſſunt, praxi illa execranda, quæ ſtylum ferreum intra uterum in calvariam fœtus adigit. Quod ſi oſſa quædam fracta

in fœtu deprehendantur, quæritur, an in ipſo utero exiſtens fœtus hanc vim potuerit experiri, quod credibile non eſt, cum membranis concluſus & aquæ innatans fœtus ejusmodi injuriam haud facile patiatur; an hæc fractura ab imaginatione matris, aut a prava conformatione proveniat? Verum margines fractorum oſſium, & recentes ſanguinis ſuffuſiones demonſtrabunt, potius eſſe ab illata vi, quam a prava conformatione, aut læſa matris imaginatione.

Sed & ſub ipſo partu multiplici vi illata perire fœtus poteſt, e. g. ſtrangulatione, quæ fit: 1) ſpaſtice conſtricto uteri orificio; 2) Funiculo umbilicali; 3) Fune aut manu nefando illata. Quomodo ſingula mortis ſpecies dignoſcitur? Uteri orificium & funiculus cutem non lædit, lædit autem plerumque funis, aut manus; manus præterea inæquales facit, latasque ſugillationes. 4) Preſſione in fontanellam; verum intropreſſio fontanellæ fractura unius alteriusve oſſis capitis cauſſari poteſt a pelvi nimis arcta, irregulari, ubi caput valide ad oſſa pelvis apprimitur. Cave, ſugillationes capitis in fœtu habeas pro ſignis illatæ violentiæ, uti *Roederer* prudenter monet. 5)

Avul-

Avulſum caput vim illatam oſtendit ſemper, etſi ſubinde contingat absque prava intentione. 6) Mori ſub ipſo partu poteſt infans ob nimiam ſanguinis jacturam, ſive ea per infortunium contigerit, ſive vero ſtudio, dataque opera. Per infortunium contingit ob prævie avulſam placentam, ob abruptum funiculum umbilicalem. An ſtudio abruptus funiculus fuerit, vel id ob partus difficultatem contigerit, major aut minor pariendi difficultas oſtendet. 7) Ob inſpiratum amnii liquorem ſub ipſo partu ſuffocatio oriri poteſt. Quomodo in ſuffocatione in aquis poſt partum facta, dignoſces ſuffocationem ab amnii liquore? Liquor ſæpenumero in bronchiis ſubmerſorum reperitur; liquor amnii igne coagulatur, aqua autem non. Ex hucusque ergo dictis colligi debet, an infans ſub *ipſo partu* perierit violenter, nec ne.

Poſt partum infans varia quoque ratione occiditur. Ut mors, infanti poſt partum primum illata, demonſtretur, conſtare antea debebit, an infans re vera vixerit jam extra uterum matris. Id deſumimus maximam partem ex ſtatu pulmonum longe alio poſt partum, quam fuerit ante partum. Etenim reſpi-

reſpiratio, quæ mox poſt partum initium ſumit, pulmones explicat, levioresque reddit, atque, ut aquæ innatent, capaces, quales non ſunt ante partum. Legimus quidem in *Schurigii Embryologia*, infantes in utero matris vagitum edidiſſe, quod utique absque reſpirationis negotio fieri haud poſſet; neque adeo ſub ipſo partu ob compreſſum thoracem reſpirabit. Hinc ſequentia ſigna ſatis certo probant, infantes extra uterum vixiſſe; ſcilicet: ſi pulmo totus una cum corde in aqua multa pura natet. Pulmo ante aërem inſpiratum gravis eſt, & fundum petit, poſt partum vero ob aërem contentum natat. Primo pulmo cum corde aquæ injicitur; ſecundo pulmo ſolus; deinde variæ pulmonum particulæ. Quodſi pulmones aquæ innatent, indubitate ſequitur, aërem inibi contentum eſſe; jam per aſperam arteriam immiſſus eſt, vel *evolutus* per putredinem.

Si nulla putredo ſubſit, & tamen aër inſit, tunc vel ipſe fœtus vivens illum inſpirando hauſit, vel alius quis adſtantium flatu eum vel in pulmones immiſit, quod ſæpe fieri ſolet, ut debiles infantes, aut quorum vita dubia eſt, immiſſo aëre reſuſcitentur. Quod ſi itaque

læſio

læſio, vulnus, ſugillatio deprehendatur in fœtu, cujus pulmones *ex toto* natant, ſtatui debet: fœtum vixiſſe, & viventi fœtui eam læſionem eſſe inflictam; interim tamen aër poterat fuiſſe ſtudio immiſſus. Negavit *Rœderer* poſſe pulmones inflari, ut poſtea natent; affirmat *Bohn*, *Teichmayr*, *Morgagni*; & *Camper* peculiaria hac ſuper re experimenta inſtituit.

Negat *Eſchenbach* poſſe fieri; ut infanticida ſtudio aërem inſpiret in pulmones fœtus; verum, an non fieri poteſt, ut puella clanculum pariens id faciat, etſi dein tanquam infanticida accuſetur?

Dictum eſt, pulmones poſſe natare ob aërem putredine evolutum. An hæc ratio ſubſit, oportet videre, an ſigna putredinis ſint etiam in reliquo corpore. Pulmo putridus natabit quidem, ſed levi facta compreſſione ſubſidebit ſanus. Pulmo non putridus infantis, qui jam vixit, etſi comprimatur, & facta compreſſione aquæ immittatur, nihilominus natabit.

Pulmonum ſubſidentia juxta multos probat, infantem neutiquam vixiſſe extra uterum matris; verum certum non eſt. Etenim ſi reſpiratio fuerit debiliſſima, ſi aſpe-

ra arteria, bronchiorum vesiculæ fuerint muco multo repletæ aut tuberculis obsessæ, pulmones infantis antea vivi subsidebunt. Novimus morbum dari sub nomine peripneumoniæ pituitosæ aut infantilis notum, ubi pulmones multa pituita graves sufident; pulmones inflammati subsident, pulmones variolantium subsident; etiam in recens natis infantibus, juxta observationes *Wrisbergianas* & *Morgagnianas*, pulmones possunt esse scirrhosi.

Hinc singulæ pulmonum particulæ examinari debent, cum non omnes omnino partes soleant esse aqua graviores.

Quomodo dignoscantur pulmones suffocati infantis, a pulmonibus nondum viventis, vide l. II. epist. XIX. art. 46. *Morgagni de sed. & caus. morb.*

Præter probam pulmonum in aqua, sequentia adhuc docebunt, an infans vixerit.

1) Pulmones, quorum ope respiratio facta jam est, sunt pallide rubentes; obscure & profunde rubent ante inspirationem.

2) Attactus & densitas pulmonum ipsa contrectatione exploratur.

3) Pulmones, qui respirarunt, fere totum pericardium obtegunt; secus pulmones ante partum; *grave signum.*

4) Collapsa & subsidens fontanella, absque signis læsionis externæ, notat fœtum non prodivisse vivum.

5) Defectus tumoris illius, quem vertex capitis efformare in partu solet.

6) Defectus ullius sugillationiis; cum sugillatio, sanguinis intra telam cellulosam effusio, solum in vivo fœtu locum habeat,

7) Major accedit probabilitas, si constiterit, quod mater graviditatem difficilem fuerit passa.

Hucusque consideravimus, quam varia ratione fœtus mori possit ex vi illata, ubi vis ejus illatæ signa in corpore fœtus comparent; demonstratum est, quantum doceat conspectus ejusmodi læsionum externarum.

Verum alii modi, quibus recens nati infantes ex vi illata mori solent, ubi nulla, aut vix ulla ullius læsionis externæ signa conspiciuntur. Quædam ejusmodi mortis genera recensebo. Sic frequens fit infanticidium, ubi admota manu respiratio prohibetur;

betur; ubi pannis obvolutus infans, aut intra lecti ſtragula abſconditus, ſuffocatur; ſuffocati in aqua, cineribus, cloaca ſubinde reperiuntur. Execranda exempla habentur fœtuum occiſorum acu intra calvaream adacta, per aurem, nares, fontanellam, tempora, intra thecam vertebrarum colli, dorſi; fuere qui longa acu intra anum immiſſa infantem occiderunt, ubi nulla externæ læſionis ſigna primo obtutu advertebantur. Hinc adparet, quam adcurata omnium rerum perquiſitione opus ſit, ſi medico corpus ejusmodi occiſi fœtus examinandum committatur.

Alius non infrequens caſus occurrit, ubi fœtus obiiſſe dicitur, quod in ipſo clandeſtino partus vel in terram decidiſſe, atque ex illo lapſu periiſſe dicatur, ex eo, quod partus cito, atque ex improviſo abſolveretur. Poſſibilitas negari hujus caſus utique nequit, nihilque inde contra puerperam concludi poteſt, ſi umbilicus præcipue ita ſit conſtitutus, ut appareat, eum potius eſſe abruptum, quam aut cultro, aut forcipe abſectum.

Præter hucusque memorata mortis genera, alius præterea modus reperitur, quo

in

infans recens natus perire ſolet, ſi videlicet umbilicalis funiculi deligatio negligitur. Plures exſtant variorum diſſertationes, ubi in utramque partem acriter diſputatur, ita, ut ſumme neceſſaria a plerisque ejus deligatio habeatur, ab aliis vero contrarium aſſeratur. Exſtat *Schulzii* diſſertatio *Halæ* ad annum 1733 edita, de non neceſſaria umbilici deligatione in recens natis; item *Schael* in eandem ſententiam ſcripſit Gœttingæ 1755. Afferuntur exempla animalium brutorum, funiculum fœtuum ſuorum non ligantium, fœtuum etiam humanorum, qui ob non ligatum ventriculum tamen non perierunt; quin poſſemus & nos exemplum afferre vitæ nihilominus continuatæ, etſi umbilici deligatio fuerit neglecta, cum viderimus præterita hyeme fœminam ante noſocomii portam in curru parientem, quæ ſuis ipſa manibus infantem recens natum, funiculo umbilicali non deligato, in collegium practicum deportavit viventem vegetumque, atque absque omni ſanguinis profluvio. Afferunt etiam exemplum *Roedereri*, qui catellis recens natis funiculum penes umbilicum ipſum forcipe abſcidit, nulla ſecuta hæmorrhagia, & viventibus catellis. In me-

dium quoque multa alia ex anatomia atque ex physiologia deprompta afferunt, ad stabiliendam hanc de non necessario ligando funiculo umbilicali sententiam.

Verum animalium brutorum exempla nil docent, solent enim illa funiculum diu commordere, contundere, & loco remotiore tandem dentibus contritum funiculum dividere; ea contusio facile vices ligaturæ subit.

Exempla allata vitæ nihilominus perdurantis, etsi funiculi deligatio fuerit neglecta, rariora sunt, quam ut omnis neglecta deligatio possit innoxia esse, cum e contrario constet per innumeras observationes, fere semper mortem ex hoc neglectu sequi; quin imo funiculus umbilicalis in uno tantum loco ligatus, aut non probe, non satis valide constrictus, ansam hæmorrhagiæ præbuit letalis. Plura exstant exempla mortuorum infantum per id, quod deligatio funiculi post aliquot horas, quin etiam fuerit suapte relaxata sponte, cum letali sanguinis profluvio. Hinc etiam est, quare artis obstetriciæ scriptores in peculiari plerumque capite doceant, duplici in loco, atque valide utrobique funiculum ligare. Interim tamen

tamen ſæpe ignorantia fere invincibilis accuſatæ perſonæ patrocinatur; etenim puella gravida, partus doloribus, quos prima vice experitur, oppreſſa, ob metum, ne prodatur, & pudorem, omnis ſani conſilii inops, ignara, quam curam recens natus requirat infans, mille animi pathematibus in transverſum acta, de umbilici deligatione aut prorſus non cogitat, aut illam etiam, utpote primipara, penitus ignorat. Haud facile fœmina reperitur, quæ utut jam ſæpius ex thoro legitimo peperit, quæ illo temporis momento eam animi præſentiam habeat, ut de ligando umbilicali funiculo cogitet.

Sed ad aliam modo quæſtionem devenimus, qua ratione ex infantis, ob non ligatum funiculum pereuntis, conſpectu, & examine, determinare mortis ſpeciem poſſimus, ſi infanticida forte mortui fœtus funiculum, emiſſo primum ſanguine, ligaret. Examinandæ tunc ſunt venæ majores, cava, pulmones, ventriculi dextri cordis auricula; vaſorum autem arterioſorum inanitio nil docet.

Pereunt præterea infantes: 1) Si una cum membranis, iisque concluſus naſcatur;

 2)

2) Si una cum secundinis & placenta nascatur, & funiculus non solvatur; 3) Si aër non immittatur flatu in debilis infantis pulmones.

Vita tenuis non debet confundi cum effectibus irritabilitatis residuis. *Mauriceau* narrat historiam infantis, qui, cum aqua nimis frigida baptisaretur, periit.

Homicidium.

Contingit, ut determinare medicus debeat, an vera adsit mors, nec ne. Casum ante paucos dies habuimus. Evenit id in fulmine tactis, in hystericis &c. Hinc signa veræ mortis recensebimus, deinde accedamus ad explicandam notionem letalitatis. Signa mortis vera sunt:

1) Mortuus non respirat; pulsus cordis & arteriarum deest. Respiratio an adsit, apparet 1mo, ex motu thoracis alterno; 2do, vitro aquæ pleno ad pectus posito; 3. speculo, flammula, plumula admotis ori; verum speculum obnubilari etiam solet a cadavere adhuc calente. Pulsus etiam deficit in corde in hystericis una cum respiratione, in syncope, asphyxia &c. In quibusdam anima-

libus

libus, ranis, & hirudine, per totam hyemem pulſus non obſervatur. Habentur exempla hominum, qui pro mortuis habebantur, & revixerunt. *Plinius* narrat conſulem *Aviolarum* rogo jam impoſitum vitæ ſigna dediſſe, attamen conſervati haud potuiſſe, eoquod non ſatis cito flammis eripi potuerit. In collectionibus Hamburgenſibus (Hamburgiſchen Magazin) Tomo 19, ſi modo plenam ea res fidem mereatur, narratur, infantem pro mortuo habitum, ſepultum, & poſt 28 dies vivum repertum eſſe, fuiſſe baptiſatum, & per 5 horas ſupervixiſſe.

2) Secundum mortis ſignum eſt, ſi motus voluntarii ceſſant; quidquid narratur de mortuorum in ſepulchro editis vocibus, ad fabulas pertinet; & tota illa narratio ante aliquot annos per omnem Europam propagata de Vampieriis, ſive de mortuis ſepulchra relinquentibus, & alios trucidantibus, meriſſima fabula eſt.

3) Senſatio omnis perit. In caſu dubio naribus ſpirituoſa, ſpiritus cornu cervi, aut ſpiritus ſalis ammoniaci admovetur, auribus alta voce inclamatur, vellicantur carnes acubus, & viva flamma,

4) Mortui ordinarie frigent toto corpore. Hoc ſignum neutiquam ſufficit, cum corpora mortuorum quorundam ob citam putredinem caleant; alii vero vivi totum corpus ad attactum frigidiſſimum habere poſſint.

5) Rigor ſic dictus emortualis mortis ſignum eſt. Rigor obſervatur etiam in viventibus e. g. tetano correptis, & multi mortui, præcipue ex morbis malignis, omnino non rigent.

6) Oculorum mutatio. Splendorem oculi amittunt. Humor aqueus diſſlatur, hinc cornea collabitur, opaca fit; inter omnia veræ mortis ſigna hoc omnium erit ſecuriſſimum.

7) Fœtor cadaveroſus non in omnibus obſervatur; mira ſæpe, ſed naturalis proprietas corporis eſt; dependet item a mortis genere. Fulmine tacti ſæpe diu non fœtent. Ante aliquot annos diſceptabatur, an abſentia ejus fœtoris, & membrorum flacciditas per aliquot poſt mortem dies obſervata viribus naturæ debeatur, an miraculo? Ad determinandam ergo veram mortem omnia ſigna enarrata & collectim adeſſe debent.

Sæpe

Sæpe mors ſequitur poſt illatam vim externam, vulnus, contuſionem, fracturam &c., ubi judices dubitant. an mors ſecuta huic vel illi injuriæ debeatur. Male *Faſelius* eam cauſam letalem apellat, quam mors ſubſequitur. Contingere etiam poteſt, ut aliquis poſt illatam vim externam moriatur ex cauſa quadam alia, quin ea illata vis mortem cauſavit.

Cauſæ mortem inferentes ſunt vel tales, ut neceſſario humanæ compagis diſſolutionem poſt ſe trahant, quidquid auxilii adhibeatur. Cauſa talis, mortem neceſſario ſub quacunque conditione inferens, dicitur *abſolute* letalis.

Aliae cauſſæ ita ſæpe ſunt conſtitutæ, ut licet mortem inferre poſſint, tamen, præcipue, ſi remedia apta adhibeantur, eandem non inferant. Erit ea letalitas non *abſoluta*, ſed accidentalis.

Cauſſæ *abſolute letales* dividuntur denuo in cauſſas *univerſaliter abſolute letales*, quæ ſcilicet in omni homine, & omni tempore, vitæ jacturam inimpedibilem faciunt; & in cauſſas *individualiter abſolute letales*.

Læſiones igitur *abſolute univerſaliter* letales illæ ſunt, quæ organa vitæ continuandæ neceſſaria penitus deſtruunt, omni tempore, omni loco, quin remedii ulla ſupereſſe ſpes poſſit.

Læſiones *individualiter abſolute* letales æque certo non impediendam vitæ jacturam afferunt, ſed in certis tantum individuis, ſub certis conditionibus poſitis. Ponam exempla læſionum abſolute & individualiter letalium; ſcilicet:

1) Si perverſus ſit viſcerum ſitus; ita, ut cor dextrum thoracem, & hepar latus ſiniſtrum occupet. Vulnus dextri thoracis cor lædet læſione abſolute letali, ſed quæ læſio in hoc tantum individuo perverſum ſitum viſcerum habente, ſive individualiter letalis eſt.

2) Si ventriculus admodum profunde ſitus ſit, ita, ut regionem umbilicalem occupet.

3) Splen anteriora ſpectans, non reconditus in hypochondrio ſiniſtro, ut alias ſolet.

4) Calvaria hominis lue ſyphylitica laborantis, cujus omnia fere oſſa molliora, friabiliora, læſionibus externis magis obnoxia ſunt; calvaria carie hinc inde aroſa.

6) Herniæ, anevrismata, varices, vomicæ latentes in thorace, abdomine; phthiſis, aliique morbi chronici.

7) Sanguis labe ſcorbutica, ſcabioſa, ſyphylitica, cancroſa contaminatus.

7) Cæcitate, paralyſi impeditus greſſus; ætas ut nimium juvenis, aut decrepita; graviditas, morbi prægreſſi debilitantes. Ventriculus cibo diſtentus multo rumpi poteſt vi illata, & ictu etiam minus valido. Ebrietas hominem reddit ineptum fugæ; ebrius majorem ſanguinis jacturam patietur; febrim vulnerariam majorem.

Quæritur jam, an is, qui vulnus e. g. abſolute, ſed individualiter tantum letale intulit, eidem pœnæ obnoxius ſit cenſendus, cui alter ſubjacebit, qui abſolute & univerſaliter letalem læſionem intulit? Si aggreſſor conditionem noverit, ſub qua letalis læſio fiat; ſive, ſi ſtatum alterius noverit, noveritque antea, quod inferenda

læſio certam huic homini mortem ſit allatura, tunc erit homicidii reus: e. g. ſiquis forte olim miles trepano uſus, ſi loco conſolidato bene habeat, tamen quia calvaria ibi loci ſemper tenuior eſt, vim externam illatam ibi quoque difficilius perferet; quod ſi alius quidam ipſius commilito debiliorem nunc calvariæ locum probe noſſet, & intentione directa colaphum aut ictum etiam minus validum teneriori calvariæ impingeret, utique aggreſſor talis homicidii reus erit.

Læſio non abſolute, ſed tantum per accidens letalis illa eſt, quæ probabilius, ſpectando ſcilicet plures ejus læſionis caſus, ægro mortem non attuliſſet, niſi circumſtantiæ quædam poſt læſionem acceſſiſſent, quæ ſanitatem impediverunt. Læſio ergo per accidens letalis ſemper præſupponit poſſibilitatem, quin & majorem probabilitatem ſanitatis recuperandæ. Videamus haſce ſerius accedentes circumſtantias, quæ læſiones per ſe non letales mortiferas reddunt.

1) Si vulneratus immoderato utatur vitu, eoque e. g. ſpirituoſo, quo febris vulneraria graviter incenditur, & gangræna ſupervenit.

2) Si, in vulneribus capitis, ſtudio ſe exponat, aut frigidiori aëri, quam conferat, aut calidiori.

3) Si immoderatius clamet, tumultuetur, iraſcatur; ſi mærore, noſtalgia, vindicta, metu mortis nimio conficiatur, aut tempore conſanationis amoris illecebris indulgeat; ſi aut mollitie, aut metu doloris chirurgum adhibentem remedia impediat, quæ ex uſu forent. Si vulnus inflictum ſit e. g. capitis alias ſanabile, ſed ob peſtilens anni tempus, æſtum, ob locum paludoſum, mortem afferens.

4) Si vulneratus ſit in loco remoto, ubi requiſita auxilia ſatis cito haberi nequeunt.

5) Si chirurgus imperitus ægrum male tractet, aut neceſſaria auxilia præſtare neſciat. Si cognati, vel alii adſtantes momentoſum aliquod curationis impedimentum ponant.

Ejusmodi læſiones, quas mors inſequitur non ob ipſam vulneris conditionem, ſed ob

ob adventitium quoddam impedimentum ſanationis, aggreſſorem non faciunt *homicidam*, isque & a medico & a judice ab homicidii culpa abſolvitur; niſi fors adventitias has, vitæque vulnerati inimicas conditiones aggreſſor præſciviſſet. Hinc in relationibus judici faciendis expreſſis verbis conditio læſionis factæ exponatur, an ſcilicet ſit e. g. vulnus *abſolute quidem letale, & univerſaliter, an abſolute quidem letale, ſed ſolummodo in certis individuis;* an vero per *accidens letale*, ſive tale, quod probabiliſſime ſanationem admiſiſſet, ſi hoc vel illud impedimentum ſerius acceſſiſſet.

Nunc ſingularum partium læſionem nominatim recenſebimus, ut letalitatem vel abſolutam, vel ſolum accidentalem in exemplis conſpiciamus.

Conſideranda veniunt vulnera cerebri vi mechanica facta, gladio, glande plumbea, fragmento calvariæ, ejusque interioris tabulæ. Regula in diagnoſi letalitatis circa vulnera encephali hæc eſt; ſcilicet:

1mo Omnia vulnera cerebri *profundiora*, verſus ejusdem baſin pergentia; vulnera cerebelli, medullæ oblongatæ, medullæ ſpinalis, ibi præcipue loci, ubi primas colli

colli vertebras replet, ſunt abſolute, & univerſaliter letalia.

Vulnera cerebri non repente letifera, ſed excitata longa ſuppuratione, *tardam* licet, attamen certam mortem afferentia. Objicitur equidem contra hanc vulnerum letalitatem, quod magna cerebri vulnera, cum magna cerebri portione deperdita, fuerint feliciter ſanata; glandes plumbeæ minores, fragmenta cultri in cerebro remanſerint, clauſo nihilominus vulnere, & ſuperſtite vita (vide *Martini* ein Duzend Beobachtungen das Hirn betreffend; item *Zacutum Luſitanum.*) At caſus ejusmodi pertinent ad mirabilia, inſueta, & contra ordinariam corporis animalis legem; hinc judicium ferendum eſt ex iis, quæ *ut plurimum* fiunt.

2do Læditur functio cerebri non ſolo *vulnere*, ſed & *compreſſione*, quam patitur. Poſſunt enim vaſa ſanguifera & ſeroſa ob vim externam illatam rumpi, quin ullum in cranio vitium deprehendatur. Effuſus humor vel ſola *preſſione* encephali functiones tollit, vel corruptus & in ichorem converſus cerebrum erodit, conſumitque. In primo caſu cito accidit, in altero tarde,

atta-

attamen certo. Quod ſi humor is extravaſatus eum locum intra calvaream occupet, qui trepano applicato aperiri queat, læſio haud erit abſolute letalis. Si trepani applicatio fuerit omiſſa, erit læſio per accidens letalis.

Juxta *Bohnium* læſio erit abſolute letalis, etſi affuſus humor in ejusmodi loco ſit, qui aperiri mediante trepano poſſit, dummodo nulla, aut maxime dubia ſigna ſint pro adplicando trepano; ſcilicet: ſi adſint fiſſuræ admodum parvæ, a chirurgo haud animadvertendæ, tales præcipue, quæ cum ſuturis coincidunt; ſi adſint contrafiſſuræ, quarum ſitum ſcire & detegere nemo poteſt; ſi bonæ ad ſpeciem ægroti res medicum decipiant, & ad omittendum trepanon inducant; lene, & nullius momenti inſtrumentum, quo vulnus infligebatur, e. g. colaphus; ſi mors citius ſequatur, quam trepanon *poſſit* adplicari; ſi ignoretur, quod humor quidam intra calvariam affuſus ſit, uti e. g. ſi quis alicubi ſenſuum omnium inops in platea deprehendatur.

Ubi extravaſatus humor fundum calvariæ petiit, aut ventriculos, aut præternaturalia cava ſibi fecit, aut ubicunque is hu-

humor ejusmodi locum occupat, unde arte chirurgica educi nequit, erit læſio abſolute letalis.

Ubi vaſa *majora*, ſinus rupti ſunt, & hæmorrhagia ſiſti nequit, ibi erit læſio abſolute letalis.

Cerebrum comprimendo lædit etiam *ſtrangulatio*, manu, fune, ubi jugulares compreſſæ ſunt, &c.; ſi mors mox ſecuta eſt, ſi ſectio venarum jugularium omiſſa fuit, tunc læſio erit abſolute letalis.

Humor affuſus intra thecam colli, luxatio vertebrarum colli, læſionem facit abſolute letalem. Medulla ſpinalis intra dorſi ſpinam compreſſa mortem affert diriſſimam, poſt diuturnam alvi & urinæ ſuppreſſionem.

Concuſſio cerebri (Hirnerſchütterung) orta a vi externa, caſu ab alto, colapho impacto, læſiones ſubinde facit abſolute letales, quando nempe rupturæ contingunt vaſorum, & humorum effuſio; vel repentinam *apoplexiam* producit, quin ejus veſtigium in cerebro ſecto reperiatur; vel ob præexiſtentes varices, hydatides, vomicas, talis concuſſio letalis fit; vel & tenuis nimium calvaria, aut molliſſimum ſyſtema nerveum occiſorem excuſat.

Cer-

Certa eſt obſervatio, læſiones encephali periculoſas ſemper eſſe, etſi non ſemper vitæ jacturam faciant. Encephalo læſus cum omnibus bonis ſignis mori nihilominus poteſt, tarde licet; poteſt ad ſpeciem convalescere, & poſt menſes etiam plures mori, morte neceſſaria, inevitabili, eo autem in caſu fragmenta interioris tabulæ calvariæ ſanguis, pus reperitur. Hujusmodi tarde mortem inferentes læſiones erant aut *abſolute*, aut per *accidens* letales, pro ratione circumſtantiarum. Ex hac tarda, attamen inevitabili morte poſt læſionem encephali ſequitur, quam parum tunc valeant dies critici in dijudicanda vulnerum letalitate; poſſibile enim eſt, & non infrequenter evenit, ut læſio encephali abſolute letalis nihilominus poſt longum primum tempus mortem afferat certam, non prohibendam ulla arte; hinc ex eo ſolo, quod æger ſupervixerit longo adhuc poſt læſionem tempore, per ſe concludere non licere, læſionem hanc carere abſoluta letalitate.

Læſiones nervorum magnorum, qui non immediate pro integritate functionum vitalium requiruntur, ſi pungantur, ſi fibræ quædam nerveæ diſſecentur, integris ma-

nen-

nentibus reliquis, ſequentur ſyncope, ſpasmi, mors ipſa. Si vero ſemilacerus nervus ab artis perito ex integro diſſecetur, ea ſymptomata ceſſabunt. Hinc in ejusmodi læſionibus nervi alicujus ex integro diſſecti ſtatuenda erit letalitas per *accidens* letalis; ſi vero ſemidiſſecetur nervus, & dicta ſymptomata ſuperveniant, erit *letalitas abſoluta*, ubi locus nervi ſemilaceri talis eſt, ut manum chirurgicam non admittat; *letalitas per accidens*, ubi chirurgus nervum ſemilacerum poterit ex integro diſſecare.

Læſiones etenim parvæ nervorum poſſunt eſſe letales, ſi irritabile nimis fuerit ſyſtema nerveum; ſed ea letalitas erit per accidens.

Læſiones ganglii cujusdam nervei aut plexus nervei mortem inferre facile poſſunt, quin nimia nervei ſyſtematis irritabilitas accuſari poſſit; eo in caſu læſio ganglii mortem inferens *abſolute*, & non per *accidens* letalis dicitur.

Læſiones qualescunque viſcerum illorum, quæ multis nervis donantur, & quorum integritas ad vitam ſimpliciter continuandam requiritur, ſæpe inevitabilem mor-

ſem inferunt; hinc ictus ad cardiam, ſeu ſcrobiculum ob viciniam diaphragmatis & ventriculi; ictus, preſſio, vulnus teſticulorum, uteri, leviora cordis ipſius vulnera ſyncopen, ſpasmos, mortem, inevitabili neneceſſitate inducunt.

Tendinum læſio ſubinde facit ſpasmos, convulſiones, mortem. Tendo equidem per ſe non ſentit, ſed in ſemilacero tendine fibræ muſculares inæqualiter trahuntur; hinc oportet tendinem ſemidiſſectum ex integro diſſecare.

Inflammatio ſane magna oritur, indeque gangræna, aut ingens ſuppuratio.

Si humor aliquis effuſus inflammationem cauſet, isque removeri non poſſit, erit letalitas abſoluta.

Vulnera ventriculi cavum non penetrantia, occidere poſſunt orta cita inflammatione, & gangræna, item ſanguinem effundendo in cavum abdominis; ſubinde ſponte coaleſcunt.

Vulnera ejus cavum etiam penetrantia fuere curata; nihilominus rariores curatorum caſus non faciunt, ne abſolute letales judicemus ejusmodi læſiones ventriculi.

Be-

Becker, *Schurius*, & Ill. *Van Swieten* ad §. 170, memorant curata ventriculi vulnera; nihilominus utplurimum mortem inferunt. Hinc si mors non sequatur, erit id quidem pro aggressoris causa; attamen si mors sequatur, ea non poterit in aliquid accidens refundi.

Intestinorum vulnera frequentius curata leguntur; etiam ex integro dissecta coaluerunt; item intestina gangrænosa alicubi, cum & sine ano artificiali rarius curata; nihilominus magna parte dissecta, vel ex integro dissecta intestina letalitatem absolutam faciunt.

Hæmorrhagiæ ex læsione mortem sæpe inevitabilem afferunt. Arteria læsa ibi, ubi manui accessus non est, quæve simul *major* fuerit; etiam cor læsum, aorta læsa, arteria pulmonalis, læsa carotis, vertebralis arteria, subclava, arteriæ viscerum abdominalium quorumcunque læsæ absolute letales sunt.

Venæ equidem tutius læduntur; nihilominus læsa major vena, quæ ob situm comprimi non potest, item læsa cava, læsa pulmonalis, jugularis interna, subclavia, vena portæ læsa; venæ viscerum abdomina-

 lium.

lium læſæ, mortem *ſæpiſſime* faciunt; hinc ſi ea ſequatur, erit letalitas abſoluta.

Læſio nervorum intercoſtalium, parisque vagi, mortem affert ſæpius.

Læſio organorum ad reſpirationem pertinentium nunc conſideranda. Aſpera arteria ex integro diſſecta abſolute letalis; equidem ſtupendæ curationes apud *Paræum*, *Tulpium*, *Bartholinum*, *Swietenium* leguntur; ſed inde nil conficitur.

Nervi diphragmatis læſi mortem ſæpius afferunt. Diaphragma læditur læſione abſolute letali; ſæpe viſcera abdominis per vulnus diaphragmatis thoracem ſubeunt.

Magna ipſius pulmonis vulnera, ob læſa viſcera ſanguifera, & effuſum intra thoracem ſanguinem abſolute letalia ſunt. Latum utriusque thoracis vulnus occidit pulmones comprimendo. *Latum* vulnus unius cavi & mediaſtini idem facit. *Latum* vulnus unius thoracis tardius occidit.

Conſtrictio arcta abdominis & thoracis ſimul impedit reſpirationem; mors hæc infantibus accidit ob nimiam faſcinationem.

Continuatæ exſpirationes ob *titillationem* occidunt.

Stran-

Strangulatio occidit. Signa ſtrangulationis ſunt: caput lividum; turgidæ jugulares, oculi, lingua; cor dextrum, cava vena, vaſa pulmonum & cerebri infarcta.

Signa ſtrangulationis in aqua, ſive ſuffocationis, ſunt eadem: inſuper ſæpe aſpera arteria, bronchia ſpumam habent, aut aquam rubellam; attamen etiam alii quidam idem exhibent. In ſubmerſis glottis conſtricta ſæpe reperitur. Hinc dignoſcere poſſumus, an qui vivus, fuerit in aquam injectus, an vero mortuus, an vivus ſuſpenſus, an mortuus?

Læſio œſophagi, ibi ubi chirurgus manum admovere poteſt, ſanari poteſt; gravior, & inferius non poteſt; idem judicium, ſicut de læſione ventriculi.

Garengot, *Paræus* narrant, œſophagum vulneratum & ſanatum; ſed id nil facit.

Receptaculum chyli, ductus thoracicus læſus, atrophiam, ſpeciem hydropis, & mortem adfert, ægerque *certo* moritur, &c. fors poſt plures primum ſeptimanas. Ars nil hic prodeſt.

Læſio meſenterii magna ſibi junctam habet læſionem vaſorum aut ſanguiferorum,

aut lymphaticorum & lacteorum, & *ut plurimum* occidunt.

Læsio ductus hepatici, cystici, choledochi, vesiculæ felleæ absolute letalis.

Vulnera renum, ureterum, vesicæ, nisi ob ipsum læsionis situm fors cum vicina parte coalescant, aut urina omnis commode extra corpus feratur, & tandem in fistulam abeat, ea læsio erit absolute letalis. Sed quare renes per annos multos tamen absque absoluta letalitate possunt esse abscessibus pleni? quare punctura vesicæ, quin & lithotomia fieri potest?

Læsio splenis, hepatis, uteri, absolute letales sunt. Quare tamen splen legitur cani vivo exsectus innoxie? Respondeo: quia per artem id fiebat, & hæmorrhagia cavebatur ligaturis. Quare abscessus hepatis aperiebantur innoxie? suppuratio præpedivit hæmorrhagiam. Quare sectio cæsarea instituitur? Ea instituitur utero distento, ubi, fœtu exempto, uterus sese contrahere potest.

De venenis chemicis & vegetabilibus alia vice dictum fuit; restant venena mechanica. Agunt ventriculum irritando, inflammando, abscessus faciendo, occidunt

lente;

lenta; e. g. pulvis adamantis, aliorumque lapidum pretioſorum, alumen plumoſum, cryſtallus montana, vitrum contuſum; ſunt tamen, qui per multos annos vitrum contuſum comedunt impune, ſerius tamen multantur; pili animalium in fruſtula minuta conſciſſi; ramenta unguium humanorum: exſtat diſſertatio: *Bauer* de ungue veneno.

Venena *ſuffocando* occidentia ſunt, quæ vel aut bronchia, aut veſiculas pulmonales ſpaſtice conſtringunt; vel aëris elaſticitatem momento tollunt, quæ tamen ad explicandos pulmones requiritur; vel coagulando ſanguinem in pulmone contentum. Ita occidit fumus carbonum, fumus aſcendens ex antris quibusdam ſubterraneis, fumus accenſi ſulphuris, vapor fermentantis vini, fumus aſcendens ex concentrati acido nitri, ſalis, ſpiritu ſalis ammoniaci; pollen quorundam fungorum, & quorundam aliorum venenorum; epiſtolæ venenatæ eadem ratione occidunt.

Venena ſtupefacientia ſunt belladonna, cicuta, præcipue aquatica, de qua *Wepferus* pulchram diſſertationem dedit; cicutaria, phillandrium, draconicum, hyoſcyamus,

laurocerasus, nux vomica, œnanthe, solanum, opium.

Philtra sunt venena plerumque stupefacientia, vel aphrodisiaca validissima, cantharides &c., & per accidens amorem concitant.

Venena lenta sunt aqua Toffana, plumbum, ejusque præparata.

Examinanda adhuc sunt quædam mortis genera; scilicet: enecati fame, siti; diagnostica non dantur. Mors frigore inducta, sole, sive insolatione; injecto per os oleo fervido, liquefactis metallis, igne electrico, cujus enecandi modum nondum satis scimus; fors vasa encephali rupta deprehendentur, sugillationesque; fulmine, ira, terrore, qui cordis rupturam fecit.

Sterilitas & impotentia.

1) Vir cujus omnia ad generationem requisita membra bene sunt constituta, quive erigere se posse asserit, habendus pro potente.

mine

2) Impotentia *permanens* facit divortium, non autem *temporaria*.

3) Impotentia *respectiva* non facit divortium; *absoluta* & simul permanens facit divortium; absoluta & temporaria non facit.

4) Standum semper pro valore matrimonii, nisi evidentes adsint in contrarium rationes. Bonum totius humani generis hoc expetit.

5) Quid de ligatis & ligaturis sentiendum?

6) An herniosus aptus ad matrimonium?

7) Testiculis carentes an apti? Respondeo: aliud est carere re ipsa testiculis, & aliud eos habere absconditos in abdomine.

8) Unius testiculi homines aut trium, an apti?

9) Qui fissam habent urethram, an apti?

10) Qui callosam in glande urethram habet, & foramen habet laterale in pene, an aptus?

11) Circa fœminas eadem divisio sterilitatis, quae impotentiæ in viris. De fœmina hoc valet: apta ad matrimonium habetur, quæ virum *admittere* potest.

SECTIO V.

DE

HERNIIS.

DE

HERNIIS.

Frequentiſſimus morbus Hernia eſt, & periculoſus, atque omnis ſexus & ætatis.

Eſt autem hernia viſceris cujusdam extra ſuum cavum proprium in alienam cavitatem translocatio.

Dividitur: 1mo, ratione *regionis* corporis, in herniam *cerebri*, *pectoris*, *abdominis*. Hernia cerebri, ablato cranii fruſtulo per trepanon, aut eroſo, manentibus membranis.

Hernia pectoris, dislocatio pulmonum ob ablatas, eroſas coſtas, aut dehiſcentes,

aut

aut nimium flexiles. Hernia cordis ob eandem causam.

Frequentissima hernia abdominis; ea denuo dividitur: 2. *ratione plagæ* in *inguinalem*, eamque completam & incompletam; in *cruralem*; sub ligamento *Poupartii* enim magna vasa sanguifera ex abdomine in femur descendunt; in herniam *umbilicalem*; in herniam *ventriculi*, si in regione ventriculi oriatur. Item in herniam vaginalem, si viscera intra uteri vaginam & rectum intestinum sese insinuent; hernia *foraminis ovalis*.

3tio: Dividitur ratione *prolapsæ partis*; nulla pars est in abdomine, quæ non subinde fuerit prolapsa; frequentius vero intestina, omentum, aut utrumque; hinc nomina Enterocele; epiplocele, enteroepiplocele.

4to. Ratione temporis in *congenitam*. Novimus ante nativitatem, subinde etiam post eam descendere testiculum in scrotum. Si jam via descensus maneat aperta, & viscus quoddam abdominis omentum sequatur, erit hernia *congenita*.

5to. Ratione partis *integre*, vel *ex parte* solum prolapsæ; ut si vel totum quod-

dam

dam inteſtinum, vel ejus paries unicus fuerit prolapſus, in *perfectam*, & *imperfectam*.

6. Ratione ſitus *externi* vel *interni*. Intra abdomen enim ſtrangulari inteſtinum poteſt, & dislocari intra thoracem, intra cavum omenti e. g. perforati, aut meſenterii, aut ligamento præternaturali ſtringi poteſt.

7mo. In hernias *cum* & *ſine ſacco hernioſo*. Raro finditur peritonæum, niſi in hernia a vulnere, aut repentina diſtractione

8vo In *ſpurias* & *veras*. Spuriæ ſunt *hydrocele*, *hæmatocele*, *cirſoſcele*, ſeu hernia varicoſa, & *ſarcocele*.

Perfectum datur æquilibrium aut actio & reactio æquilibrata inter muſculos abdominis & ejusdem viſcera: hac ſublata datur *hernia*, ſi modo ventris *plaga quædam* cedere debeat. Non loquimur hic de *totius* abdominis extenſione, uti in hydrope, tympanite, obeſitate, graviditate.

Hanc *totius* abdominis relaxationem aliqui *herniam totius ventris*, ſed male, appellarunt; eſt quidem morbus in fœminis præcipue, ſed hernia non eſt.

Si locus, & quædam plaga abdominis cedant, ea pars cedens eſt ſolum fere peri-

rito-

ritonæum & integumenta; non, aut perraro, ipse *musculus*; musculus dehiscit, & per fibras dehiscentes in cellulosa sit hernia.

Ibi hernia frequentior, ubi plaga quædam est natura sua debilior, ad annulum, ad ligamentum *Poupartii*, umbilicum.

Causa prædisponens est maxime debilitas *adventitia*, aut *nativa*. Hinc herniæ non sunt quidem hæreditariæ, attamen *debilitas* est sæpe hæreditaria, ut per exempla patet. Debilitas ergo musculorum abdominalium, mesenterii, ejusque laxitas, obesitas, ob hanc ipsam debilitatem; ictus; frequens graviditas, partus laboriosi; vulnus, etiamsi non penetret; distractio retrorsum, ad latus, eaque repentina; esse suspensum ex brachiis; elevatio ponderis, maxime vero ejus gestatio erecto corpore; repletio abdominis cibo, saburra, flatu; colica flatulenta; vomitus, tubarum inflatio, clamor, vagitus, tussis convulsiva; dura alvus; concionatores, monachi, cantores; gesticulatores, saltatores, equites, parientes; obesum omentum; lapsus ab alto, thoraces fœminarum; hydrops.

Diag-

Diagnosis herniarum adcurata eſt inſtituenda, ne hernia confundatur cum alio quocunque tumore.

Confundi autem poſſet cum tumore *ſcrophuloſo* inguinis; cum *bubone metaſtatico*; cum *bubone venereo*; cum *hydrocele*; cum *teſticulo ſerius deſcendente & dolente*; bene tunc diſtinguendum eſt: 1) Teſticulus tunc in ſcroto deerit; 2) Tumor hic, ſeu teſtis in inguine hærens *tractus* peculiarem ſenſationem & dolorem patitur, qualis nempe a teſte preſſo oriri ſolet. Cum *cirſocele*; at hæc initium ſumit a teſte, aſcendit, faſciculum lumbricorum refert.

Ad formandam herniæ diagnoſim ſequentia debent perpendi: 1) an *tumor* ibi ſit, ubi alias herniæ ſolent obſervari; 2) an tumor indolens ſit, an repente ortus poſt cauſam talem, quæ efficere hernias ſolet; tumores enim alii *chronici lente* oriuntur, & *acuti*, uti e. g. tumores metaſtatici, inflammatorie dolent; 3) an mutabilis & variabilis magnitudinis ſit, major ſtando & inſpirando, tuſſiendo, minor vero inter decumbendum, & manu adpoſita; major à paſtu, dolentiorque, minor ventre jejuno; frequens leipothymia, colica crebra, alvus

ſegnior, borborygmi, vomitioque, dum tumor major eſt.

Tumor rotundior, elaſticus, borborygmis vexatus, & dolore colico, eſt ab elapſo inteſtino. Tumor minus variabilis magnitudinis, & informis, non elaſticus, ab omento eſt. Afficitur tamen & ventriculus & alvus a ſolo omento, vellicato ſcilicet.

Subinde difficillime detegitur hernia ob ejusdem exiguam molem, præcipue recentes; hæ maxime periculoſæ ſunt. Subinde unus ſolum inteſtini paries intercipitur; nihilominus omnia dira ſymptomata obſervantur; alvi invincibilis obſtructio, licet pervio canale.

Inter frequentiſſimas hernias eſt inguinalis, ubi per annulum abdominis viſcus procidit. Diverſæ magnitudinis eſt. Hæret in inguine, aut ad ſcrotum deſcendit, aut ad labium pudendi, aut etiam ad genua. Vidi herniam talem in homine mediocris ſtaturæ, *Argentorati*, qui repente mortuus ſecabatur. Omnia inteſtina, duodeno & rectis exceptis, erant in ſacco hernioſo; is ad genua protendebatur; ventriculi fundus, parsque ejusdem ſiniſterior hæ-

re-

trebat jam in annulo. *Heisterus* imaginem ejusmodi portentosæ herniæ depictam exhibet.

In hac præcipue herniæ specie id observatur, ut omne fere scrotum & integumenta penis in saccum herniosum absumantur, eumque constituant. Hinc testium nullus comparet, & ipse penis ita est absconditus, retractusque, ut eo videatur carere penitus.

Inde quæstio nata olim est, an hernia sit impedimentum matrimonii. Resolvi hæc facile poterit, scilicet: esse per se nullum matrimonii impedimentum in hernia, nisi ejus enormis magnitudo efficiat. Idem de herniis fœminarum dici debet, nullum videlicet illas impedimentum ponere, nisi ob molem suam subinde nimiam impediant *mechanice*.

Ceterum de sacco hernioso hæc sunt notanda: 1) Fabricam constare integumentis *communibus ventris*, & dein peritonæo elongato; 2) Esse crassitiei variæ, ita tamen, ut ex herniæ magnitudine nequeat determinari ejusdem crassities. Plerumque ita obtinere *Illustris Richter* asserit, ut, quo major hernia, quo magis elongatum

ſit peritonæum, eo etiam ipſo peritonæum ſit magis incraſſatum. Verumtamen ſecuimus hernias *parvas*, ſacco craſſiſſimo, & *magnas* ſacco tenui. Mihi videtur, craſſitiem ſacci dependere ab attritu majori & minori alicujus brachierii. Ceterum hernia inguinalis maribus communiſſima, rarior fœminis eſt.

Incommoda herniæ: 1) Herniæ ſunt liberæ & reponibiles; 2) Herniæ *non reponibiles* ſine incarceratione; 3) Herniæ non reponibiles *incarceratæ*. Prima ſpecies non periculoſa, attamen ſecunda; peſſima tertia. Præter periculum incommoda adſunt ventriculi, inteſtinorum, alvi, coctionis; incommoda inter laborandum; matrimonii; varices funiculi ſpermatici; tumor teſtis. Hernioſus eſt in continuo vitæ diſcrimine.

Si viſcus quoddam in ſaccum prolapſum ſtranguletur, ita, ut reduci libere nequeat, erit *hernia incarcerata*: Ut multiplex eſſe poteſt viſcus prolapſum, & locus hujus prolapſus, ita etiam erit diverſa incarceratio. Attamen ſæpius fit ſtrangulatio *in collo* ſacci pyriformi, fitque plerum-

rumque ab annulo abdominali. Viſcus plerumque eſt inteſtinum.

Effectus incarcerationis non ſolutæ ſunt: 1) Interceptus canalis alimentaris; 2) Obſtructio invincibilis alvi; 3) Partis vero prolapſæ, ob circulum interceptum, inflammatio & gangræna.

Symptomata ſunt: dolor in loco hernioſo auctus tactu, inſpiratione, tuſſi; tormina ventris deinde ſuperveniunt; tenſio abdominis & inflammatio; tandem, ſed non ſemper, rubor externus herniæ. Alvus pertinax; vomitio ingeſtorum, bilioſa, flatulenta, anxietas. Febris inflammatoria enteriticaque; attamen exiguis, contractis, obſcuris pulſibus; non ergo hic metiri oportet febrim ex pulſu ſolo. Singultus; artuum frigus, ſudores frigidi in guttas collecti.

Exitus eſt, vel mors totius hominis morte enterica morientis; vel mors ſolius prolapſæ partis, & fiſtula ſtercorea, aut anus præternaturalis.

Hæc fere ſymptomata ſunt *intercepti inteſtini*; paulo alia erunt, ſi aliud viſcus ſtranguletur; nos hic de hac ſola, utpote *frequentiori* agemus.

Incarcerationes nothæ, seu ſpuriæ dantur: 1) Si in hernia, licet non ſtrangulata, dolor *colicus undecunque* ortus obſervetur; equidem & hic loci, ut in reliquo abdomine, colici dolores oriri poſſunt. Hic medela *colicarum* locum habet; 2) recenter orta hernia *vellicando* facit eadem ſymptomata, etſi ſtrangulatio nulla adſit; 3) herniæ magnæ in diu ſtantibus; 4) aliæ vomituum aut ilei ſpecies in hernioſis, ſed ab ipſa hernia non provenientes; male tamen morbus in herniam refunderetur.

In omni pertinaciori vomitu, ileo, alvi difficili ſolutione, torminibus, de hernia interrogandum. Etſi nulla appareat, tamen illa adeſſe poteſt, ſi ſcilicet unicus paries ſit interceptus.

Cauſæ proximiores incarcerationis ſunt quatuor: 1) vel ipſum prolapſum viſcus; 2) vel annulus, isque fere ſemper; 3) vel ſaccus hernioſus; 4) muſculi abdominis.

Annulum frequentiſſimam cauſam ſtrangulationis dixi, etſi multi ei vim contractilem & muſcularem denegent. Nam 1) non

non deeſt ei omnis vis contractilis; 2) etſi paſſive ſe ſolum habeat, tamen ſtrangulat; 3) etſi etiam careret vi contractili, non tamen carent illa muſculi, quorum fines tendinei annulum efficiunt; 4) conſtat per omnes noſtras obſervationes, difficillime adigitur inſtrumentum; impreſſio facta ab annulo in inteſtino viſui patet.

Annulus ergo ſtringit: 1) ſi recenter hernia oriatur; 2) ſi in veteri hernia nunquam reponibili *nova* pars prolabatur, & incarceretur.

Recens hernia magis incarcerationi obnoxia ob annuli elaſticitatem, minus vero hernia vetuſta.

Hernia *ſubito*, item in *robuſto*, item a *vi externa* orta periculoſior; periculoſior in adultis, maribus, quam fœminis & pueris; parva hernia periculoſior, quam magna eſt.

Cauſæ incarcerationis herniæ dicebantur 1) annulus, 2) viſcus ipſum prolapſum, 3) ſaccus hernioſus, ejusque collum; 4)

musculi abdominales. De annulo, tanquam incarcerationis causa sufficienter dixi; nunc devenio ad aliam strangulationis caussam, scilicet ad saccum herniosum.

Sacci herniosi loca quædam *angustiora* strangulare possunt. Collum sacci angustius, scilicet ob brachierium subinde gestatum, subinde depositum; subinde strangulatio fit *solo collo* sacci, ubi annulus amplus est, & non strangulat; subinde vero causa strangulationis est & in sacco, & in annulo quærenda. Subinde ipse saccus *disruptus* externa vi, aut erosus per suppurationem elabi permittit intestina, ut ea solis externis integumentis tegantur; fieri tunc strangulatio potest in ipso sacco hernioso, seu, fit hernia incarcerata in ipsa hernia.

Tertia caussa strangulationis est, *viscus prolapsum* e. g. omentum circumdans intestina, & strangulans. Opus hic est omentum & intestina expedire, nodosque solvere, & reponere, si id fieri possit; annulus & saccus nil conferunt ad incarcerationem.

Item

Item omentum præpingue premendo ſolum partem prolapſam inteſtinorum, ſpeciem incarcerationis facit.

Corpora aliena indigeſtibilia, nuclei, oſſa, ferramenta, acus ſi deglutiatur, & ad anguſtatam inteſtinorum partem pone annulum deferantur, incarcerationem efficiunt. Item colica herniæ inflammatoria, inflammatio prolapſæ partis. Excrementa, aut flatus collecti, præcipue in herniis magnæ molis, & vetuſtis.

Quarta incarcerationis cauſſa quæri debet in muſculis abdominalibus ipſis ſpaſtice conſtrictis; hac enim ratione viſcera vi urgentur in ſaccum hernioſum, ſimulque annulus conſtringitur. Hæc eſt illa herniæ ſpecies, ubi non tam herniæ, quam toti abdomini cataplasmata emollientia debent adplicari; ubi balnea totius corporis, ubi antiſpasmodica omnis generis tantopere celebrantur.

Pervenio nunc ad diverſas ſpecies incarcerationis, atque ad methodum medendi. Hæc res noſtra attentione eo dignior,

quo crebriores herniarum incarcerationes occurunt, & quo difficilior, & errori periculoſo maxime obnoxia eſſe ſolet diagnoſis.

Plerumque promiſcuam, & empyricam facimus medicinam, idque ob defectum diagnoſeos, quod ſcilicet diverſas herniæ incarceratæ ſpecies non diſtinguamus. Hinc eſt, quod quædam remedia nunc in inſtanti profuerint, eademque ipſa remedia alio tempore manifeſte nocuerint. Hinc hujus methodi tantæ laudes ab uno autore, & tanta vituperia ab autoribus aliis. Dicendum eſt, ſingulos bene obſervaſſe aut utilitatem remedii, aut ejus etiam nocumenta; veruntamen in eo errarunt, quod *ſpecies* varias, totoque cœlo diverſas incarcerationis non diſtinxerint.

Quadruplex incarcerationis ſpecies datur, quarum quævis ab altera eſt diverſiſſima.

Prima incarceratio *acuta*, ſeu *inflammatoria*, ſeu febrilis; *Secunda*, incarceratio

non

nan febrilis, seu chronica; *Tertia*, incarceratio *spasmodica*. *Quarta*, *complicata*.

In *prima* specie symptomata omnia sunt inflammatoria; dolor, febris, abdominis & herniæ tensio enteritica; decursus celer in maribus, hernia parva, recenti.

In *secunda* dolor exiguus; nulla febris; incommoda ventris; pedetentim; hernia magna, antiqua, in homine seniculo, fœmina. Diu persistunt ad 12—20 dies. Sero febris & dolor, & inflammatio, & gangræna. Post 2-3 septimanas operatio feliciter est peracta.

Tertia species: absentia signorum primam & secundam speciem designantium. Signa sunt: remissio & exacerbatio certo, incerto tempore, quin & intermissio per horas; pulsus exiguus, sudor frigidus, respiratio parva, citata (hæc distinguenda sunt a statu gangrænoso) spastica tensio musculorum abdominis; indolentia in hernia; sudores frigidi, singultus, terror prægressus. Periculum est ab unversali spasmo & obrigescentia corporis. Demonstratur

tur exiſtentia hujus ſpeciei incarcerationis ab uſu opii, caſtorei, oleoſorum, ſemicupiorum, cataplasmatum emollientium, & antiſpasmodicorum; refractæ doſes tartari emetici, ipecacuanhæ.

Quarta ſpecies eſt complicata.

SEC-

SECTIO VI.

OBSERVATIONES

DE

COLICA SATURNINA.

OBSERVATIONES

DE

Colica Saturnina.

Historia morbi I.

Vir viginti ſeptem annorum, per tres annos Deauratoris amanuenſis, jam a menſe Martio anni 1776. continuo ægrotabat. Ab initio cephalæa, cui tandem dolores rheumatici jungebantur. Apud *Fratres Miſericordiæ* per 14 dies decubuit; mitiores continuo facti ſunt dolores; hinc diſceſſit e noſocomio, modicis tantum rheumaticis doloribus, & debilitate in hunc usque diem

re-

residuis. Quatuor enim diebus elapsis, cum ingens artuum inferiorum dedolatio urgeret, 30ma Julii nostrum nosocomium accessit.

Conquerebatur de doloribus abdomen contorquentibus, ardore scrobiculi cordis, & ventriculi, doloribus lumborum, rheumate omnium artuum, tenesmo & stranguria. Pulsus fortis, plenus, celerior naturali; lingua albida, os siccum, per vices amarum; abdomen molle, at introtractum. Vomituritio frequens, & sensus rei per oesophagum ascendentis, imo sternum versus laryngem trahebatur, unde strangulationis species oriebatur. Testiculi retrotracti; alvus dura. Enema, emulsio camphorata cum manna & sale sedlizensi, &, cataplasma emolliens abdomini applicatum. Magnum inde levamen, & protracta hac nostra methodo, intra paucos dies convaluit.

Balnea etiam in his casibus indicantur; cataplasmata quoque & fomenta optime conveniunt. e. g.

Rec. Fol. malv.
— — alth.
Fl. Chamom. aa. manip. ij.
Conc. coq. c. s. q. aquae per 1/4 horae.

Colat

Colatura. Mens. ij. per linteum pressa d. u. pro fotu ad abdomen, omni hora; aut bihorio renovando.

Historia morbi II.

Vir 37 annorum, per tredecim annos pingendo & pigmenta terendo victum quærens; ceterum semper sanus, tribus abhinc septimanis gravitate & dedolatione artuum; atque cephalalgia corripiebatur. Alvus rara; accessit dolor pressivus & contorquens ventriculi; præcipue circa umbilicum; vomituritio; & sensus repleti ventriculi. Biduo, antequam in nosocomium accesserat, pulverem purgantem sumpsit; unde alvus quinquies, & assiduus vomitus movebatur.

16ta Augusti 1776. in nosocomium susceptus. De ingenti artuum dedolatione conquerebatur; dolores diu noctuque assidui; cervicis quoque dolores; & biliosus per vices vomitus. Alvus naturalis. Pulsus fortis, plenus, durus, haud celer. Dolor circa umbilicum assiduus, & tam vehemens, ut æger continuo se in lecto volutaret. Dabatur mixtura oleosa cum granis

quatuor opii & granis ſex camphoræ; modicum inde levamen; enema quoque applicabatur. Nulla porro alvus, & flatus infimum ventrem oberrantes.

Die 17ma enema ex ſale petræ & electuario hieræ picræ; nulla alvus. Oleoſa mixtura repetita cum granis ſex opii & camphoræ. Dolores inde evanidi, & enemate veſperi applicato, alvus parca, attamen haud dura ponebatur.

18ma. Mixtura oleoſa cum granis iij. opii. Veſperi tormina recruduere; ſæpius etiam durante hoc morbo amauroſis acceſſit, brevi iterum ſponte evaneſcens. Veſperi duo adhuc ij. grana opii data, & enema ex ſale petræ & electuario hieræ picræ. Alvus inde frequens & mollis, dolor omnis evanuit, & nox tranquilla.

19ma. Eadem mixtura oleoſa cum granis ij. opii. Optime hac die ſe habuit. Sumpſit deinde mixturam chamomillæ. Ad perfectam usque ſanationem nullum aliud ſymptoma, præter pulſum pauliſper plenum & durum, obſervabatur, qui tamen absque venæ ſectione ſenſim diſparuit.

Id ſingulare in hoc ægro, quod nullo unquam remedio prophylactico uſus fuerit,

&

& quod alvus longo opii usu adeo non fuerit suppressa, ut potius facilior, mollior, & frequentior inde succederet.

Amaurosis etiam per vices accedens insolens erat, in aliis ejusmodi ægris a nobis haud visum symptoma.

Præter hæc superius enarrata symptomata æger de nulla alia re conquerebatur; ut, nisi de vitæ genere jam constitisset, hæc colica facile pro alia colicæ specie imposuisset.

Historia morbi III.

Pictor 32 annorum, a viginti quatuor annis nullo gravi morbo detentus, 9ma Augusti 1776. dolore ardentissimo & contorquente abdominis ad regionem usque pubis protenso corripiebatur. Umbilicus profunde introtractus; dolor ardens regionem epigastricam, hypochondria, & totam anteriorem thoracis regionem sensim occupabat. Aeger de illo & rei ascedentis & laryngem strangulantis sensu, ut in aliis ægris vidimus, non conquerebatur; neque dolor artuum rheumaticus, neque vomituritio, neque flatuum ex ventriculo explosio; sapor

haud depravatus; ceterum alacris æger, & vires bonæ; appetitus; alvus facilis & regularis; urina absque omni difficultate mittebatur.

10ma. Laboribus ſuis valedixit; dolores enim abdominis vehementiores, vomitus humoris aquoſi, atque etiam bilis æruginoſæ, omniumque aſſumptorum. Noctu magis ægrotabat, ac interdiu.

11ma. Omnia pejora; 10ma bilem æruginoſam vomuit: libera alvi & urinæ excretio; pulſus fortis, plenus, attamen non durus, neque vibrans, lingua albida. Neque tamen ex his omnibus hanc colicam pro colica ſaturnina habuiſſem, niſi ex anamneſi certus fuiſſem, ægrum hunc continuo plumbata tractaſſe.

Id inſuper æger nobis narraverat, ſe, antequam ad conſuetos quotidie labores accederet, butyrum comediſſe, atque univerſim lacte & lacticiniis plurimum ſemper uſum fuiſſe; jam a multis annis alvus facilis & mollis, imo quandoque frequentior.

Sumpſit emulſionem purgantem cum ſale amaro & manna partitis vicibus; at nulla inde alvus, & major abdominis tenſio; alvus, antea ſemper naturalis, neque ullo

ullo enematum genere nunc movebatur. Dedimus mixturam oleofam cum pauxillo camphoræ; enemata emollientia & irritantia; cataplasma toti abdomini applicatum; nulla tamen alvus.

Mixtura oleofa cum pauxillo camphoræ, & opio; aliquot ab affumpto hoc remedio paregorico horis, alvus fponte movebatur, atque dolor & tenfio abdominis difparuere.

Sub ufu chamomillæ, opii, & amaricantium plantarum intra paucos dies perfecte convaluit.

Hiftoria Morbi IV.

Pictor 25 annorum per duos menfes, ab initio fcilicet Aprilis, dolore rheumatico, manuum pedumque articulos occupante, & per vices redeunte, corripiebatur 18ma Maji 1777. His doloribus jungebatur dolor abdominis, appetitus depravatus, cardialgia, & alvus pultacea inter dolores pofita; nullus tamen amaror oris.

1ma Junii acceffit dolor rheumaticus in regione pubis cum ftranguria.

3ia in noſocomium ſuſceptus. Dolores rheumatici articulorum pedum atque manuum, debilitas, vertigo, cardialgia, vomituritio. Lingua albido-flaveſcens, & pulſus ferme naturalis. Nullus interim coxendicis dolor, neque penis retrotractio, neque umbilici aut inteſtini recti introtractio. Mixtura oleoſa cum drachmis iij arcani duplicati.

4ta Nox maximam partem tranquilla; dolor rheumaticus in regione hypogaſtrica paulo mitior; urinæ difficultas eadem; os ſiccum, lingua impura; ſitis inſuper, & pectoris oppreſſio. Sumpſit hauſtum ſequentem:

Rec. ſal. amar. unc. 1 β.
aquæ. menth. unc. iij.
opii puri gr. 1.
M.

A meridie mixtura chamomillæ cum granis V opii & camphoræ; decoctum emolliens pro potu ordinario.

5ta Nox inquieta; dolor articulorum mitior, in regione pubis æque vehemens; ſtranguria vehemens & frequens; mane alvus ſemel poſita; magna ſitis, & lingua albida. Repetebatur mixtura chamomil-

læ

læ cum granis V opii & camphoræ; & decoctum emolliens. Ceterum idem a meridie rerum status.

6ta Nox ferme omnis inquieta. Os amarum, vomituritio, ftranguria, alvus dura cum tenefmo. Summa doloris rheumatici, artus & pubem occupantis, atrocitas. Lingua impura, & fitis. Arcani duplicati drachmæ tres in mixtura.

7ma Nox tranquilla; alvus pridie 7es pofita. Mitior nunc longe artuum dolor; urinæ fluxus facilis & copiofus, dolor etiam in regione hypogaftrica minor, & nulla nunc thoracis oppreffio. Aliqua tamen vomituritio, lingua impura, & flavefcens faciei color. Affumpto vomitorio bilem pituita mixtam vomuit, pingui pellicula fupernatante. Sapor oris inde emendabatur.

8va Nox tranquilla. Alvus femel pofita, minor fitis, modica adhuc urinæ difficultas, dolores artuum longe mitiores, dolor autem in regione pubis omnis evanidus, fuperftite tantum murmure in abdomine. Sumpfit mixturam chamomillæ cum opio & camphora, & decoctum herbarum emollientium. A meridie, cum

ſymptomata bilioſa iterum accederent, drachmiæ iij arcani duplicati in mixtura.

9mo De die nulla alvus, nocte vero prægreſſa bis poſita. Somnus parcus, & inquietus. Magna per diem debilitas, borborygmi, lingua impura bilioſa, at nullus fermie dolor rheumaticus. Vertigo. Arcani duplicati drachmæ iij in mixtura. A meridie de calore potiſſimum & vertigine æger conquerebatur.

10ma Pridie alvus ſemel poſita, Nox tranquilla. Æger nunc per omnia melius ſe habebat, aliqua capitis gravitate excepta; lingua impura. Mixtura cum ſale medio & tinctura rhei aquoſa. A meridie incaluit; alvus tamen nondum ſoluta.

11ma. Noctu alvus ſemel poſita. Minor nunc capitis gravitas; placide dormivit, & per omnia melius ſe habuit æger; dolores tamen rheumatici, digitorum præcipue & in regione pubis per vices rediere. Mixtura cum ſale medio & tinctura rhei aquoſa. A meridie omnia in eodem ſtatu.

12ma. Nox quieta, repentinis terroribus ſubinde turbata. Alvus pridie quater poſita, noctu nulla. Calor & pulſus naturalis; nullus in regione pubis, & exiguus tan-

tantum digitorum dolor. Modica ſitis, & facilis urinæ fluxus. Temulentia tantum aliqua capitis, & dolor punctorius oculorum ſuperſtites. Mixtura cum tinctura rhei aquoſa, grana VI camphoræ, ſine opio. A meridie idem rerum ſtatus.

13ma. Gravitas & temulentia capitis, lingua adhuc impura, nullis interim dolores rheumaticis, & urinæ facilitas. A meridie autem æger de oppreſſione præcordiorum querebatur; fors ideo quod pridie comeſto pane ſicco frigidam hauſiſſet. Arcani duplicati drachmæ IV in mixtura, cum granis IV camphoræ.

14ma. Pridie nulla alvus, hoc mane autem ſemel poſita. Minor capitis gravitas, ventriculi oppreſſio minor, urinæ fluxus facilior, lingua purior, univerſim æger melius ſe habuit. Mixtura chamomillæ cum granis VI camphoræ & opii.

15ma. Nox quieta. Pridie alvus bis, hoc mane ſemel poſita. Lingua pura, ſapor bonus, & nullus dolor rheumaticus. At ſenſus preſſi ventriculi, & appetitus dejectus. Nulla temulentia, mixtura chamomillæ cum granis V camphoræ, ſine opio. Hora tertia pomeridiana æger horripilatio-

ne & tremore totius corporis corripitur; fucessit cephalalgia & calor per totam horam durans. Omnia reliqua symptomata colicæ saturninæ disparuere. Mixtura cum drachmis tribus arcani duplicati.

16ma. Nox inquieta. Pridie nulla alvus, hoc mane ter posita; appetitus prostratus, temulentia capitis, pressio regionis hypogastricæ; sitis magna & debilitas. Mixtura cum drachmis iij. arcani duplicati.

17ma. Nox tranquilla. Die prægressa nulla alvus, hoc mane ter posita. Debilitas, modicus sudor, & rari artuum dolores; at lingua impura, & flavescens adhuc faciei color. Mixtura cum drachmis iij. arcani duplicati. A meridie nullus paroxysmus febrilis.

18ma. Alvus usque ad hoc matutinum tempus 7es posita. Nox quieta, & æger per omnia melius se habuit. Mixtura cum sale medio, & tinctura rhei aquosa.

19ma. Nox sat quieta. Pridie alvus bis, noctu autem semel posita. Hac die symptomata colicæ saturninæ & colluviei simul biliosæ magis manifesta. Facies flavescens, lingua albida flavescens, & pitui-

tosa.

tosa. Conquerebatur de doloribus rheumaticis capitis, pedum, & manuum praecipue continuis, certo tempore exacerbatis. Oppressio ad scrobiculum cordis, nausea, & vomituritio. Pulsus, qualis in colica pictonum esse consuevit. Drachmae 10 salis amari in unciis ij. aquae; alvus inde octies soluta.

20ma. Nox tranquilla; omnia symptomata mitiora; naturalis faciei color rediit; Mixtura cum sale ammoniaco.

21ma. Nox perfecte tranquilla. Pridie alvus semel posita; omnia symptomata & biliosae colluviei, & colicae saturninae disparuere, excepto modico dolore rheumatico, quem subinde in digitorum articulis sensit. Eadem mixtura.

22ma. Levamen perstabat, neque de ullis amplius doloribus conquerebatur. Indicatio itaque a juvantibus desumpta.

23ma. Perfecte sanus nosocomium reliquit.

Erat haec colica saturnina cum alio adhuc morbo, biliosa scilicet totius corporis labe, conjuncta; hinc illa linguae, faciei, & oculorum flavedo; hinc etiam purgantibus, vomi-

vomitoriis, & falibus mediis colluvies hæc biliofa e corpore erat eliminanda.

Hæc autem biliofæ labis cum colica faturninæ complicatio duplici ex caufa contingit. 1. ob fpasmos abdominis, quibus fecreta bilis iners redditur, atque in abdomen & inteftina effunditur; 2. ex vitio epidemico; omnes enim colica faturnina laborantes, labe fimul biliofa afficiuntur: Cum infuper alvus morofa fit, corruptæ fæces in inteftinis accumulantur; hinc purgantia indicantur, quibus autem opium jungere oportet, ut eo certius alvus ducatur.

Hiftoria morbi V.

Pictor 25 annorum, femper fanus, at facie pallido-flavefcente, ante tres menfes frigore per vices recurrente, horripilatione, calore, artuum dedolatione, dolore punctorio totum finiftrum brachium occupante, refpiratione difficili, leni contorfione umbilici & abdominis, atque cardialgia corripiebatur; paralyfin quoque digiti indicis & pollicis brevi tranfeuntem fentiebat. Frequens & ficca tuffis, fenfus doloris fub fterno, & dura alvus. Vena fe-

ca-

cabatur; bihorio elapſo omnia ſymptomata mitiora, & ſenſim diſparuere, at poſt octo dies majori cum vehementia redierunt; reſpiratio præſertim aſthmatica; omnia tamen hæc ſymptomata poſt tres horas ſponte diſparuere.

Sæpius rediit paroxysmus, at cum æger intra tres menſes quinquies venæ ſectionem inſtitueret, mitior ſemper, & longiori intervallo.

12ma Junii 1777 valde debilis noſocomium acceſſit. Valida thoracis oppreſſio; ſibiloſa & aſtmathica oppreſſio, vertigo. Mixtura ex unciis V aquæ chamomillæ opii & camphoræ granis viij.

13ma. Pulſus minus durus; at in morbi decurſu ſæpe vibrans, & durior. Alvus jam a biduo nulla, hac veſpera autem parca & dura. Quinquies ſponte bilem vomuit, magno pectoris levamine ſubſecuto; at gravitas capitis, ſtranguria, & levior cardialgia acceſſerunt. A meridie caput liberius; at dolores colici per totum abdomen, & alvus tota die obſtructa.

14ma Nox inquieta & ferme inſomnis; eadem urinæ difficultas. Mitiores interim dolores colici. Caput minus grave, ſapor

tamen

oris bonus, lingua modice albida, pectus sat liberum, pulsus naturalis, at alvus obstructa. Opii & camphoræ āā gr. viii. in unc. V. mixturæ chamomillæ; Decoctum emolliens pro potu ordinario.

15ma. Cum nulla hucusque alvus posita, gr. 1 $\frac{1}{2}$ opii cum unc. 1$\frac{1}{2}$ salis amari in unc. ij aquæ fontanæ pro haustu. Quater inde alvus posita, magno cum levamine; caput & pectus inde libera, major tamen urinæ difficultas, pulsus naturalis, & nulla amplius cardialgia. A meridie liberior respiratio, quam toto morbi decursu; appetitus, at lingua flavescens, ceterum bene se habuit, perstante tamen eadem urinæ difficultate. Mixturæ unc. IV. aquæ chamomillæ, cum elixirio visceralis temperati & syrupi chamomillæ āā unc. 1 Extracti chamomillæ, opii, & camphoræ āā gr. V.

16ma. Aliqua adhuc cardialgia, & lingua modice flavescens, ceterum bene se habuit. Eadem mixtura, cum opii & camphoræ āā gr. v. Tota die nulla alvus & urinæ difficultas.

17ma. Bene per omnia, major urinæ facilitas, & thorax liber. Nulla alvus.

18ma.

18ma. Purgans ſuperius dictum, unde alvus quater poſita. Pectus bonum. Cum autem nondum plena urinæ libertas eſſet, unciæ adhuc IV. mixturæ chamomillæ cum unc. 1 elixiris viſceralis & granis V. opii.

19ma. Stranguria; alvus ſemel poſita. Unc. VI. Elixiris viſceralis cum opii & camphoræ āā gr. IV.

20ma. Alvus ſemel poſita; urina copioſior, facilior.

21ma. Modica adhuc ſtranguria.

22ma. Per omnia bene ſe habens ad priſtinos labores rediit.

Id quoque in hoc ægro notandum, dolores noctu fuiſſe exacerbatos. At primarum viarum affectione non magna incommoda tulit æger, ſed de difficili ſolum & ſibiloſa reſpiratione conqueſtus eſt.

Ultimis morbi temporibus plena alvi libertas, aſſumpto licet opio.

Venæ ſectio breve tantum levamen attulit.

In morbi initio de anxietate pectoris ſolumodo conqueſtus eſt; reliqua colicæ ſaturninæ ſymptomata ſerius, ſub uſu opii camparuere; imo, omnia illa ſymtomata, quæ ægrum, ante uſum opii, vexabant, il-

lo

lo assumpto brevi disparuerunt; nam quoties illum interrogabamus, semper affirmabat, se nullam capitis gravitatem sentire, sed omnes sensuum functiones esse integerrimas.

Sæpius purgantia salina opio jungere oportet, ut biliosas, acres & induratas fæces, quæ alvo diutius adstricta accumulantur, e corpore eliminemus.

Historia morbi VI.

Pictor 35 annorum, 15es jam colica saturnina laborans, mense Majo 1776 in eundem iterum morbum incidit; a chirurgo, purgante ex manna parato & enematibus, sanatus ad pristinos labores se recepit. Triduo post, cum malum recrudesceret, nosocomium S. T. adiit. Per quinque dies ibi commorabatur; at cum malum intra hoc tempus non esset sublatum, domum rediit. Altera mox die artuum omnium paralysi corripiebatur, qua per 26 septimanas tenebatur, quin omnia a chirurgo præscripta remedia vel minimum levamen attulerint. Medicum tandem consuluit; remediis ab illo præscriptis, inunctione spirituosa & frictione ar-

artuum inferiorum mobilitas rediit, manente interim brachiorum paralyſi. Durante hoc curationis tempore electricitas etiam tentata eſt, at malum inde potius auctum, quam imminutum. Menſe Aprili thermas Baadenſes adiit, quibus per 4 ſeptimanas utebatur; fere perfecte ſanus rediit, brachiis ſolummodo non ex integro ſanatis. Continuavit per aliquod tempus priorum remediorum uſum, & brachiorum tandem mobilitas rediit. Menſe Jubio 1777 priſtinos labores ſuſcepit, eosque per 5 ſeptimanas absque ullo incommodo tractavit. At 5ta Julii lacerantibus iterum doloribus brachiorum & crurum, absque colica tamen, corripiebatur. 6ta & 7ma omnia iterum bona; 9na & 10ma idem dolor rediit; atque hac ultima ab opera ſua cogebatur deſiſtere; dolores artuum, præcipue circa genua, magis adhuc lacerantes, & lancinans accedebat dolor ardens dorſi & lumborum.

11ma Noſocomium adiit. Eadem dolorum ferocia; lingua valde flava, abdomen indolens, urina & alvus libera, pulſus durus & parvus. Mixtura chamomillæ cum opii & camphora āā gr. 10.

12ma. Somnus bonus, doloribus ſubinde interruptus: Mitiores nunc dorſi, lumborum, & artuum inferiorum dolores; ſuperiorum vero iidem, ac heri. Nulla alvus. Jam a priori die ſtando tantum urinam mittere potuerat. Circa meridiem de vehementi ardore pectoris & regionis hypogaſtricæ conquerebatur.

13ma. Nox inſomnis; cetera eadem ac heri. Mixtura chamomillæ cum opio & camphora āā gr. XII. Cum a meridie eadem ſymptomata perſtarent, dabatur mixtura ex unc. 1β ſalis amari, unc. ij aquæ communis, & gr. 1 opii. Alvus inde ter mota, cum inſigni doloris colici levamine. Urina facilis. Pergebat in uſu mixturæ & opii.

14ma. Os pituitoſum, urinæ difficultas, & ſubitanea inter mingendum ſuppreſſio. Aliquis adhuc in regione hypogaſtrica ardoris ſenſus. Idem purgans & enema, at nulla inde alvus. Utrumque brachium debilius, manus vero utraque paralytica. Idem ardoris ſenſus. Mixtura chamomillæ cum granis XII opii.

15ma. Abdomen bonum, at brachia debiliora; urina difficilis, veſperi autem li-

beriora

berior. Hac die ſponte abſque purgante remedio aut enemate alvum aliquoties poſuit.

16ma. Duplo minus opii aſſumpſit; at alvus tota die obſtructa. Ardor totius corporis rediit. Sera veſpera mixtura chamomillæ cum opii & camphoræ ana granis 12.

17ma. Nox bona. Dato enemate alvum magno cum levamine poſuit. Aliqua adhuc manuum debilitas, urina liberior, & ardor minor. Mixtura chamomillæ cum opii & camphoræ āā granis XII.

18ma. Nox quieta; mane iterum aliquis ardor; lingua bilioſa, & os pituitoſum. A meridie ſal amarum absque opio, & enema; alvus inde ſoluta.

19mo. Nox bona; aliquem tamen, cum ſe moveret, in abdomine dolorem ſentiebat. Os & lingua glutine quaſi obducta. Hinc omnis cura a regnante tunc conſtitutione pituitoſo — bilioſa deſumebatur. Dabatur mixtura cum drachmis iijβ arcani duplicati, drachma 1β ſalis ammoniaci, & drachma 1 tincturæ caſtorei. Alvus aliquoties inde ſolvebatur, & nullum amplius dolorem ſentiebat.

20ma. Prior mixtura ſalina cum tinctura caſtorei repetita; ſolvebatur alvus, nullus dolor, & minor manuum debilitas.

22ma. Nullus omnino dolor. Etſi manibus nunc uti potuerat, nondum tamen ſufficiens illarum robur aderat. Æger noſocomium reliquit, antequam perfectam ſanitatem recuperaſſet.

Ab electrica machina paralyſis in hoc ægro augebatur; thermæ Baadenſes levamen tulerunt.

In initio plumbum dolores rheumaticos ſine colica produxit, hæc enim ſerius demum acceſſit.

Opium prius exhibendum eſt, deinde primum purgantia rémedia danda ſunt.

Vidimus in hoc ægro alvum a largiori doſi opii ſponte ſolutam, & eadem ratione, qua hæc doſis minuebatur, obſtructam, ut nec a ſale amaro exhibito moveretur.

Hac anni tempeſtate colicæ ſaturninæ, cum colicis biliofis, univerſim, cum labe bilioſa conjunctæ erant, hinc duplex medela requirebatur, quod tamen in hoc caſu perdifficile erat. Opium enim bili inimicum, & tamen ad colicam ſaturninam neceſſario requi-

requiritur; hæc autem purgans remedium non fert, illa vero etiam postulat.

Plures colicæ saturninæ hoc anni tempore se mihi obtulerunt, quas ob temporis angustias litteris mandare non potui. Hæ omnes cum biliosa & pituitosa labe conjunctæ erant, & remedia solventia, emetica & purgantia, interpositis largis opii dosibus, requirebant. Quasdam colicas saturninas solis remediis antibiliosis, absque opio, sanavi, & nisi dolores urgebant, eandem, quam colicis biliosis, medicinam feci. Eadem æstate plures colicas saturninas pro biliosis habuissem, nisi pulsu tardo, duro & vibrante, qui in colica saturnina solemnis est, fuissem admonitus, etenim ipsa biliosa colluvies vim venenatam opii, ut videtur, obtundit.

Historia morbi VI.

Vir 62 annorum a viginti sex annis artem pictoriam exercens, sæpius in vita graviter ægrotabat, atque ultimo ante 16 annos; nunquam tamen ex colica saturnina decubuit. Plerumque bis, etiam sæpius

per diem ſponte alvum poſuit. Jam a tredecim annis, quin cauſam aliquam reſciret, nullum aſſumptorum ſaporem habet. Ante octo ſeptimanas, cum ceterum ſanus eſſet, de dolore regionis epigaſtricæ per vices redeunte conqueri cœpit. Appetitus dejectus, alvus rara, dolores rheumatici artuum & ſubinde dedolatio totius corporis. Oppreſſio inſuper pectoris, & dum per acclivia aſcenderet, difficilis reſpiratio. Caput confuſum & grave. Per 7 ſeptimanas vomituritio frequens, nullus tamen vomitus. 7ma Julii ultimo alvum poſuit.

12ma Julii 1777 in noſocomium ſuſceptus eſt; mox cum intraſſet, & priusquam ullum remedium aſſumpſiſſet, frequentes epileptici inſultus. Hac nocte grana IX opii exhibebantur.

13ma. Nulla convulſio, ſomnus quietus, alvus nulla, & cardialgia. Ab enematibus nullum levamen. A meridie unc. 1 β ſalis amari in unc. iij. aquæ communis. Alvus inde ter cum levamine ſoluta.

14ma. Idem ventriculi dolor. Veſperi, aſſumpto ſale amaro, mox convulſionibus, in lethargum abeuntibus, corripitur. Mixtura

tura chamomillæ cum opio & camphora, resuscitatus.

15ma. Mane convulsiones rediere. Idem remedium exhibitum. In lethargum iterum incidit, cum respiratione valde tarda & stertorosa: Pulsus fortis, plenus, durus. Secta vena, sanguis absque crusta; circa meridiem mors.

Caput, me inscio, aperiebatur, ut nulla mihi nunc esset investigandi occasio.

In abdomine intestinum colon multo aëre distentum & vesicula fellea tenui, flavescente bile turgida.

In cavitate thoracis humor vere biliosus, flavus, chartam scriptoriam colore flavo tingens, & ab illo, in vesicula contento humore, in eo tantum, quod multo tenuior esset, discrepabat. Omnia intestina bile tincta; cetera omnia sana.

Historia morbi VII.

Juvenis 17 annorum, tertio nunc anno pictoriæ artis tyro, jam mense Octobri elapsi anni, prima vice ex colica saturnina decubuit, a chirurgo sanatus. Ab illo tempore sat bene se habuit, ad ultimas us-

que ante ſuum in noſocomium noſtrum adventum ſeptimanas, cum ſcilicet preſſionem ventriculi, & frequentem vomituritionem conquereretur.

16ma. Julii 1777. hora 8va matutina valido frigore, dolore abdominis, & reſpiratione difficili corripitur. Hora 1ma a meridie calor, & dolot abdominis perſtabat. Alvus bis poſita. Somnus noctu bonus, doloribus ventris ſubinde interruptus.

17ma. Appetitus dejectus; frequens dolor colicus; reſpiratio difficilis. Calor incerto tempore rediens. Semel bilem vomuit, alvum bis poſuit. Nox priori magis tranquilla.

18ma. Mitiores dolores colici. Vix ulla reſpirationis difficultas, & lenior cephalalgia. Alvus bis poſita. Extra lectum laborabat. Somnus bonus.

19ma. Noſocomium adiit. Dolor capitis & abdominis intenſior. Sitis, lingua albida; pulſus plenus, fortis, durus.

Mixtura ſalina, dein emeticum; dein iterum ſalia, & tandem remedia ventriculum roborantia; atque ita absque opio convaluit.

Juvenis hic terendis pigmentis, & cerussæ potissimum terendæ operam impendit.

Pulsus admodum durus & vibrans erat, qui tandem talis, qualis in colica saturnina esse solet, evasit.

Cum pictores plerumque alvum obstructam habeant, venenum plumbi a bile quasi involvi, & obtundi, verosimile est: Bilis autem ipsa colicam biliosam producit. Hinc colica saturnina, tempore æstivo, regnante constitutione biliosa, singularem curationem requirit.

Historia morbi VIII.

Pictor 40 annorum, ante aliquot annos ex colica saturnina decumbens, operæ huic, cum convalesceret, valedixit, at eandem ob res angustas denuo resumpsit mense Majo 1777.

Inchoante Octobri de doloribus artuum rheumaticis conqueri cœpit; alvus subinde dura, & leviores dolores colici.

Elapsis octo diebus nosocomium adiit. Conquerebatur de febre omni vespere exacerbari solita; leviori colica, & doloribus artuum rheumaticis. Pulsus, qualis in co-

lica saturnina esse solet, scilicet vibrans, durus, & quasi chorda ferrea tensa; in reliquis enim colicæ speciebus pulsus potius parvus & obscurus observatur.

Dabam remedia salina, leniora purgantia ex manna, & tandem emeticum. Tremens adhuc & debilis, me invito, domum rediit. Nullus equidem dolor aderat, neque febris; at pulsus colicæ saturninæ solemnis, & malus corporis habitus.

Domi suæ pristinos labores suscepit; post aliquot dies levior dolor abdominis rediit, subinde ardoris sensum excitans; accessit rheuma artuum, sudores nocturni valde copiosi, ut 2—3 vicibus linteamina mutare cogeretur. Ceterum extra lectum degit.

23ma. In nosocomium rediit. Mox, ubi per scalas ascendisset, in lectum se projicit, & insultu epileptico corripitur. Insequitur apoplexia, convulsionibus epilepticis interpolata. Deglutitio abolita; & eadem adhuc die mors apoplectica.

Dissecto cranio omnia vasa cerebri solito turgidiora. Reliqua sana.

Etiam thorax sanus, præterquam, quod sinister pulmo pleuræ accretus esset.

In regione abdominis ventriculus ingentis magnitudinis; inteſtinum jejunum, & magna pars ilei obſcure rubeſcens, & ſumme inflammata; coli transverſi curvatura multis duris, ſcybaloſis fœcibus repleta; fellea veſicula vacua; cetera ſana.

Conſtitutione anni inflammationibus amica, facilis eſt enteritidis cum colica ſaturnina conjunctio, atque hæc inteſtinorum inflammatio primam medentis curam requirit.

Colicas ſaturninas genuinas, atque illas etiam, quæ bilioſa labe commixtæ ſunt, plerumque facili negotio curamus; at illæ ſaturninæ colicæ, quæ partim inflammatoriæ, partim bilioſæ indolis ſunt, difficillimæ curationis ſunt, ſcilicet tribus his cauſis ſeorſim agentibus.

Hiſtoria morbi IX.

Operarius 40 annorum, potator ſtrenuus, quatuor circiter annis apud figulum terendo in ſubtiliſſimum pulverem lythargirio operam impendit. Hoc tempore ſæpius doloribus colicis vexabatur.

Per

Per quinque dies, antequam nosocomium adiret, abdomen leviter tympaniticum. Conquerebatur de sævis doloribus colicis; vomuit æruginosa; nulla alvus, atque summa anxietas; extra lectum nihilominus degebat.

Quinta morbi die, 8va Decembris 1777. in nosocomium susceptus. Mixtura salina uno haustu sumenda. Decoctum hordei cum melle, & enema. Vespera emeticum; magna copia sordium biliosarum ανω και κατω cum insigni ægri levamine.

9na Decembris sal amarum & manna in decocto altheæ per vices assumendum. Alvus inde facilis, & vix aliquis abdominis dolor. Pulsus ad hoc usque tempus a naturali vix diversus; lingua albida; nullus calor, neque ullum præsentis febris signum. Attamen inquietus, & abdomen tumidulum, & modice *tympaniticum*, a rudiori tamen etiam attactu haud dolens. Extra lectum degens obambulabat.

10ma. absque convulsionibus, subito moritur & inopinate.

Dissecto cranio magna copia aquosi laticis sub membrana arachnoidea apparuit, atque

atque omnia vafa cerebri a fanguine turgebant.

In regione abdominis omentum femi-inflammatum; & tenuium quoque intestinorum inchoans inflammatio, vesicula fellea a craffiori bile distenta, & adjacentia quoque vifcera a bile tincta; cetera omnia fana.

Hiftoria morbi.] X.

Figulus 50 annorum ab aliquot annis doloribus colicis fæpius vexabatur, qui tamen facile difparebant, fi alvus aut fponte aut abfumpto purgante aliquoties moveretur. Ceterum bene fe habuit.

5ta Decembris 1777 idem dolor colicus per vices, atque intenfior rediit; alvus parca & fcybalofa; fomnus parcus.

6ta. Omnia pejora; dolor magis contorquens & fcindens, alvus magis obftructa, & æger laboris impos lecto decumbere cogebatur. Vefpera vomuit affumpta, dein biliofa; rediit aliquoties vomitus; nox infomnis.

7ma. In nofocomium venit; de atroci abdominis dolore conquerebatur; lingua impura,

pura, & aſſidua vomituritio. Vomuit tandem. Ob doloris ventrem contorquentis vehementiam in lecto ſeſe jactitabat; abdomen tumidum, & ab attactu dolens; alvus nulla; pulſus plenus, fortis, durus. Mixtura ſalina. Nox inſomnis.

8va. Eadem, quæ heri. Emeticum; magnam inde bilis copiam vomuit, alvus aliquoties mota, magno cum levamine; ſomnus parcus.

9na. Purgans ex manna. Circa meridiem umbilicus introtrahitur, dyſuria, tenſio regionis hypogaſtricæ; æger inquietus; ſomnus vix ullus.

10ma. Idem rerum ſtatus. Decoctum emolliens cum nitro, & venæ ſectio. Sanguis cruſta inflammatoria tectus. Circa meridiem alvus aliquoties mota, inſigni cum levamine.

Continuato per aliquot dies remediorum emollientium uſu æger perfecte convaluit.

Compoſitus erat hic morbus ex colica ſaturnina & colica bilioſa, bile tamen prædominante. Hinc ab opio abſtinui, utpote bili inimico, ſed emeticum, & purgantia exhibui.

Dolo-

Doloris pertinacia, anni tempus ad inflammationem proclive, & ſordium in inteſtinis retentarum acrimonia venæ ſectionem, emulſiones nitroſas, univerſim, methodum antiphlogiſticam requirebant.

Erat itaque hic morbus, *colica ſaturnina bilioſa, in inflammationem inteſtinorum tendens.*

Hiſtoria morbi XI.

Pictor 23 annorum coloribus parandis operam impendens, antea ſanus, anno 1775 ex colica, prægreſſa vomituritione, ſingultu, & ructuum exploſione, decubuit. Rediit hæc colica trium annorum ſpatio ſexies circiter, atque ex ultimo morbo in noſocomio Fr. Miſericordiæ ſanabatur; remanſerat tamen dolor obſcurus manuum, etſi is interdiu tantum ægro moleſtus eſſet. Durabat hic ſanitatis ſtatus usque ad 15mam Nov. quo die elapſo dolor ille in manuum & digitorum tumorem mutabatur, ut æger tenendo penicillo impar eſſet; rigebant manus, & æger viribus omnibus exhauſtus ferme exanimis erat. Ita ferme res ſe habuit usque ad medium menſem Februarii. Sequentibus tribus ſeptimanis acceſſit dolor abdominis nocturno tempore exacerbatus, alvusque

vusque rara; temulentia capitis, subinde gravitas, visus debilitatus, appetitus dejectus, & per octo dies vomituritio, subinde tenesmus, alvo licet rara; urina libera; dolor ex dextro latere in sinistrum, inde in pedem utrumque, & tandem per universum corpus migrabat. Respiratio difficilis, pectus oppressum. Hæc symptomata ad 7mam usque Martii durabant; hac die vinum calidum assumpsit, iterumque evomuit.

8ma Martii in nosocomium venit. Gravitas capitis; facies flavescens, lingua albida & pituitosa; pulsus tardus, vibrans, ferme durus. Dextrum brachium sinistro paulo macrius, atque tertium os metacarpi super reliqua aliquantum eminebat. Abdomen molle, & habitu externo naturale; at interne dolor scindens, ardens, contorquens; alvus nulla. Crura ab attactu dolentia, somnus turbatus, vomituritio. Remedia solventia & eccoprotica.

9na Martii omnia in eodem statu, testiculorum insuper & glandis penis retractio. Vomitus, qui pridie primo accesserat, 10es repetitus biliosam & porraceam saburram eliminabat. Ad vomitum hunc sistendum mixtura ex aqua chamomillæ unc. VI, syrup. cha-

mom.

mom. unc. 1β, extracto chamomillæ dr.β, & extract. hyoſciami gr. x. Pro potu ordinario decoctum altheæ cum ſyrupo diacodii. Serius omnia in eodem ſtatu; pulſus tamen paulo mollior; & minus fortis. Decubitus in utroque latere difficilior, & nox inſomnis.

10ma. Omnia in eodem ſtatu, & alvus nulla. Efficacius remedium paregoricum exhibebatur; huic gr. x. opii in mixtura chamomillæ. Cum autem veſpera ſponte biliosa vomeret, & os amarum eſſet, opiato ſepoſito, vomitorium datum, dein iterum opium exhibitum. Vomuit bilem & pituitam magno cum levamiane; urina flava, ictericorum more; ab enemate, etſi acriori, nulla alvus. Nox melior.

11ma. Omnia meliora. Alvus nulla, urina eadem quæ heri, & capitis temulentia. Mixtura repetita, & veſpera unc. 1β ſalis amari. Noctu alvus 8es poſita; minor doloris vehementia.

12ma. Magnum levamen. Mixtura chamomillæ cum opio; veſpera enema. Alvus noctu ſoluta, dolores mitiores; urina viridesſcens.

13ma. Vix ullus dolor. Mixtura eadem.

14ma. Eadem mixtura. Vefpera fequens remedium exhibitum.

Rec. Aq. chamom. unc. vj.
fyr. chamom. unc. 1β.
Arcani dupl. dr. vj.
Opii pauri. gr. vj.
M.

Sumat omni 4hor. fextam hujus miftu"ræ partem.

15ma. Aquæ menthæ unc. iij. falis amari unc. 1β, fyrupi menthæ unc. 1. pro hauftu; 8. vicibus mota alvus.

16ma. Nocte prægreffa dolores fubinde artuum; os pituitofum. Ad eliminandas pituitofas colicæ reliquias ob alvum obftructam collectas, decoctum graminis, taraxaci, cichorei, cum arcano duplicato.

17ma. Nullus fere hac nocte dolor. Idem decoctum.

18ma Idem morbi ftatus. Frictiones roborantes ficcæ artuum.

25ma bene fe habet. Decoctum herbarum amaricantium; inde, perfecte convaluit.

Notan-

Notandum hic, illa collicæ saturninæ symptomata, quæ in hoc casu remediis obvolventibus & opio sanabantur, probe distinguenda esse ab illis, quæ ab alvo obstructa, aut ab ipso opio, aut a protracto remediorum involventium usu oriuntur.

Ut adeo opii usus non semper & ubique innocuus habendus sit.

Historia morbi. XII.

Pictor 36 annorum, spatio 13 annorum bis, nempe ante 4 & ante 6 annos ex colica saturnina in nostro nosocomio decubuit; 24ma Aug. 1776 iterum ad nos venit. Ab ultimo morbi hujus insultu, ex salutari medici consilio, quotidie mane panem butyro oblinitum comedit, atque ita sanus vixit, usque dum ante 14 dies colica, & præcipue contorquente dolore circa regionem umbilici corripiebatur; urethra insuper retracta, absque difficultate tamen aut ardore urinæ. Diarrhæa insuper cum vomitu, per vices redeunte, atque æruginoso. Nullum tamen artuum rheuma, neque ullus ardoris sensus in ulla corporis parte. Vomitus & diarrhæa sequentibus etiam diebus con-

tinuarunt, dolore tamen contorquente abdominis per vices remittente. Ante tres dies repente, absque gravitate aut debilitate artuum prægressis, dolore ſcindente in utroque brachio, manu, & digitorum articulis, atque illarum partium paralyſi repente corripitur. Utrumque genu idem dolor occupat, ut æger equidem ſedere, non autem pedibus inſiſtere valeret. Ultima ante adventum ſuum die alvum ſemel poſuit, bis autem vomuit; cum in noſocomium eſſet ſuſceptus, os erat amarum, etſi lingua haud multum impura eſſet. Reſpiratio libera; nulla cardialgia; at dolor contorquens circa umbilicum, dolor & paralyſis artuum. Pulſus natutali celeritate, at durus; calor haud præternaturalis. Mixtura oleoſa cum camphora, & decoctum emolliens.

Alvum aliquoties ſponte poſuit, dolor abdominis intra triduum, cum mixturam oleoſam cum camphora ſine opio aſſumeret, penitus diſparuit; utroque autem brachio paralyticus evaſit. Utramque manum & genua idem dolor vexabat. Pulſus durus, & arteria, tenſæ ad inſtar chordæ ferreæ, vibrans.

28ma Mixtura chamomillæ cum granis IV opii; & eadem adhuc vefpera æger aliquam brachiorum mobilitatem fentiebat, ut fibi jam de redituro artuum ufu gratularetur.

Cum opium, ut in multis ægris vidimus, alvum pertinaciffime claufam, neque ullo remedio aperiendam, folvit, atque alvus etiam continuato opiatorum ufu non raro fponte movetur, in mentem mihi venit, an non opium, quod illum quafi tetanum & paralyfin inteftinorum folvere poterat, etiam in illa artuum paralyfi, quæ non a vera partium ad motum requifitarum relaxatione, fed a fpasmodica potius illarum conftrictione oritur, efficax pariter remedium effet? Neque eventus fpem meam fefellit.

Sequenti die opii & camphoræ āā gr. VI. in mixtura chamomillæ, & decoctum herbarum emollientium. Mirabilis plane vis plumbi, quod alioquin ftupefaciendo & contrahendo agit, attamen tam vehementes fpasmos in corpore excitare valet! At non minus mirabilis opii vis eft, quæ utpote relaxans, in hoc tamen cafu laxis & paralyticis artubus novam vitam tribuit.

Ut opii usus eo tutius possit protrahi, venæ sectio ad uncias vj instituta; sanguis crusta tectus.

Sequenti die mixtura oleosa cum opii & camphoræ ana gr. vj; enema, & decoctum emolliens pro potu ordinario.

2da Septembris dextrum brachium, etsi cum aliqua difficultate, elevari poterat. Ceterum neque comatosum quid, neque ulla gravitas capitis ab usu opii. Hac die camphoræ & opii āā gr. vij, in mixtura oleosa sumpsit.

Opii præ camphora, in roborandis nervis, & solvenda paralysi, efficacia ex alio itidem casu patet, ubi largus & protractus camphoræ usus, figuli, ex colica saturnina paralytici statum, nec vel minimum emendabat.

3tia membra paulo liberius movebat. Opii & camphoræ āā gr. viij. Alvus quinquies mota, copiosa, prima vice dato enemate, reliquæ 4 sedes vespera sponte.

5ta Eadem opii & camphoræ dosis in mixtura chamomillæ. Tota die optime se habuit, neque somnolentia, neque ulla capitis gravitas. Facilis membrorum motus, noctu autem per vices delirium. Sequenti

mane

mane eadem mixtura absque opio; at tota die ſomnolentus, & alta voce excitatus tarde ad interrogata reſpondens. Artus equidem movebat, at cum difficulte. Venæ ſectio; ſanguis cruſta inflammatoria tectus; emulſio nitroſa. Altera die caput ſerenum, nullus in toto corpore doloris ſenſus, artuum autem, quæ vix inchoaverat mobilitas, iterum deleta.

Solus nunc artuum ſenſus ſuperſtes. Emulſio nitroſa continuatur.

9na Opii iterum & camphoræ āā gr. iij. in mixtura chamomillæ. Veſpera, ſolerti inſtituto examine, an aliquod ſymptoma ob opio produci ſolitum adeſſet, nullum omnino deprehendebatur. Brachia quoque aliquantum elevabat, quod mane non poterat.

10ma Mixtura chamomillæ cum camphora absque opio. Brachia ægro expedita magis & leviora videbantur.

23tio Brachia modice & difficulter movebat. Hucusque ob genuum impotentiam neque obambulare, neque, cum ſurrexerat, ſolus ſe pedibus ſuſtinere erectum poterat, nunc autem ſolus e ſella ſurgebat & obambulabat. Hucusque quotidie grana v camphoræ

phoræ in libris ij. emulſionis ſumpſerat; hodie camphoræ ſcrupulum unum in eadem emulſione.

30ma Mixtura chamomillæ cum ſcrupuloi camphoræ.

3tia Octobris electricitas tentata; abſque levamine.

5ta Sequentibus pillulis uti cœpit:

Rec. Sapon. Ven. unc. ß.
G. ammon.
Camphor. aa. dr. ij.
Caſtorei dr. ß.
Syrup. menth. q. ſ. m. f. pil. gr. ii.
Sumat ſexies de die iij. cum ſequenti infuſo:

Rec. Flor. arnicæ.
— — chamom. aa man. ß.
Inf. c. 5 qu. aquæ commun. Colat. ℔. ij. adde.
Syr. menth.
— — fl. chamomillæ aa. unc. 1.

8va De doloribus iterum articulorum & pondere dextri brachii conquerebatur, emulſio cum dr. ß camphoræ; at æger tardæ ſanationis pertæſus e noſocomio diſ-

ceſ-

ceſſit, cum malum hoc largioribus camphoræ doſibus oppugnare animus eſſet.

Hiſtoria morbi. XIII.

Figulus 24 annorum per ſeptem circiter menſes lythargirio ad incruſtanda vaſa terrea utebatur.

Altera jam ſeptimana dedolatio omnium artuum, & per vices dolores colici. Biduo poſt carnem ſuillam comedit, & hydromel largiter hauſit; dolores evanuere, & bene ſe habuit.

Apparens hæc ſanitas paucos' tantum dies durabat; dedolatio & dolor colicus rediere, isque aſſiduus, ſubinde vehemens ac contorquens, ac ſi inteſtina in globum convolverentur; abdomen ſubinde intumeſcens mox iterum collapſum, durum, & umbilicus introtractus. Pudenda ægro ſubinde increſcere videbantur, ſcrotum enim & penis intumuere. Alvus obſtructa. Subinde vertigo caliginoſa; calores vagi, horripilatio, & tremor artuum. Urina difficilis, parca & ardens; ab hoc tamen incommodo æger largiori hauſtu hydromellis ſe liberare ſolebat.

Atque ita plus minusve ægrotabat, quo sæpius hydromelle uteretur.

Ante quinque septimanas alvus per totum octiduum obstructa, penis cum dolore retractus, & ardens urinæ stillicidium. Frustra alvum jalappa, scammoneo, & repetito enemate reserare tentabat; larga tandem hydromellis potatione alvum intense flavam duramque magno cum levamine sponte posuit.

Ab illo tempore unicum tantum paroxysmum, eumque leviorem habuit, quem solito suo remedio, hydromelle scilicet, sopiebat.

23ma in nosocomium venit. Valida artuum dedolatio; dolor contorquens in regione umbilici, per vices exacerbatus, & a biduo intensior; abdomen tumidum & tensum. Umbilicus introtractus; sensus, appetitus, & sapor bonus; alvus per quatuor dies nulla; semel biliosa vomuit. Nox enema injectum; cum nulla alvus sequeretur, sequens opiatum.

Rec. Aqu. fl. chamomill. unc. vj.
Opii.
Camph. āā gr. x.
Syrup. chamomill. unc. ß.

Omni

Omni quadrihorio ſexta pars aſſumenda.

Circa veſperam eadem ferme dolorum vehementia, umbilicus tamen minus introtractus, minor quoque abdominis tumor & tenſio; nulla tamen alvus, & magna urinæ difficultas & ardor; ſomnus turbatus, parcus.

24ma Mane dolor abdominis aliquantum remiſſior; alvus tamen adhuc obſtructa:

Datum eſt ſequens purgans:

Rec. Sal. amar. unc. 1 β.
Opii puri gr. 1.
Aqu. menth. unc. iij.

Alvus inde dura, nigra, & parca; ſemel vomuit; reliqua eadem.

Circa tertiam pomeridianam inſultu epileptico corripitur, aliquoties redeunte, donec tandem in profundum ſomnum incideret. Elapſis circiter octo minutis æger ad ſe rediit; alvus nulla, urinæ ardor.

Injiciebatur mox enema acre, & ſequens mixtura exhibita:

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v.
Extract ——— dr. 1.
Opii puri
Camph. āā gr. xij.
Syrup. chamomill. unc. 1.

Omni

Omni quadrihorio sextam partem hujus mixturæ assumpsit.

Balneo insuper calido ex aqua fontana immittebatur. Inter insidendum urina sponte copiose fluxit; alvus pertinaciter clausa permansit. Æger somnulentus evasit, facies torva; pulsus plenus, fortis.

Mox a balneo vena secta; sanguis indolis sanorum. Sera vespera ab enemate alvus copiosa; urina libera, subinde tamen inter mingendum ob ardorem retenta. Somnus noctu parcus, & insomniis turbatus.

25. Minor somnolentia; abdomen minus dolens, & mollius; caput liberum, major pulsuum mollities, & urina absque ardore & difficultate missa. Purgans sequens:

Rec. Sal amar. unc. I ß.
Opii pur. gr. I.
Aqu. menth. unc. ij.

A meridie 9es copiosam alvum posuit aquosam, viridem, semel pituitam vomuit; bis urinam limpidam, copiosam absque incomodo misit. Inde tensio, tumor, & dolor abdominis imminutus; umbilicus minus introtractus, & somnolentia disparuit. In dextro autem thorace erosionis quasi sensus, magna artuum dedolatio, in sinistro simul

ſimul inguine , & in toto dextro latere dolor quaſi rheumaticus. Eadem mixtura chamomillæ cum camphoræ & opii āā gr. XII.

26ma. Sæpius urina mittebatur ardens, at parca; dolor rheumaticus & ardor ſiniſtri thoracis perſtabant ; abdomen tumidulum , caput liberum , appetitus & pulſus naturalis. Mixtura prior continuata. Nox tranquilla.

27ma Caput liberum, ſenſus exulcerationis idem, abdomen ferme indolens, & umbilicus vix amplius introtractus. Appetitus bonus, ſapor non depravatus. Lingua modice flaveſcens, urina paulo facilior, alvus nulla. Eadem mixtura. Veſpera, ab enemate & purgante exhibito, alvus copioſa, mollis, virideſcens; urina copioſa, libera absque tenesmo; abdomen indolens, nulla umbilici introtractio, nulla tenſio. In utroque inguine dolor, attactum non ferens. Nox tranquilla. Idem remedium.

28ma. Æger per omnia ſat bene ſe habuit; dolor thoracis & abdominis nullus; urinæ libertas, pulſus naturali paulo celerior. De aliqua ſiti, modico calore, & de iisdem adhuc inguinum doloribus æger conquerebatur. Verſus veſperam ab enemate

mate alvus mota, noctu autem aquosa dejectio: Eadem mixtura cum opio. Nox bona.

29ma Mane aquosa dejectio, urinæ ardor, & quædam difficultas; ceterum æger bene se habuit. In sinistro annulo abdominis perparvus & dolens tumor apparuit; pulsus naturalis. A meridie alvus 10es sponte movebatur, cum insigni levamine abdominis, urina sæpius missa absque impedimento. Tumor & dolor inguinum disparuere, pulsus naturalis, sitis nulla, appetitus. Eadem mixtura cum opii & camphoræ $\overline{aa}$ gr. xij Nox tranquilla.

30ma. Nocte prægressa undecim aquosæ dejectiones; de die alvus septies sponte mota; mictio frequens & facilis. Nulla ferme artuum dedolatio, appetitus validus. Idem remedium. Nox bona.

1ma Julii Mane nulla alvus, a meridie autem bis sponte posita. Cum æger per omnia bene se haberet, mixtura ex amaris & stomachicis remediis, additis x granis opii, præscribebatur, cujus sextam partem omni quadrihorio assumebat.

2ma

2da Noctu nulla alvus: repetita mixtura ſtomachica cum granis vj opii: Inchoans virium reſtauratio.

3tia Grana v opii in mixtura. Alvus bis poſita.

4ta Opii grana iv in mixtura; alvus ter ſponte mota.

5ta Sanus domum rediit, viribus uſu roborantium reſtitutis.

Multa in hoc ægro notanda ſunt;

Primo Certum ſemper levamen a copioſo mulſi (Meth) potu expertus eſt. An hoc ab analeptica, cardiaca, inebriante mulſi virtute, qua, ad aliquod ſaltem tempus, opii vices explebat? an vero vis detergens mellis, mucum inteſtinorum ſolvendo, ad minimum partem quamdam ſtimuli ſaturnini alvo eliminavit? aut an potius utraque vis conjuncta ad dolores mitigandos concurrebat? quis hoc determinaverit?

Secundo. Certe perſuaſus ſum, illum graviter errare, qui inſultum epilepticum, & ſecutam mox apoplexiam opio potius, quam ſpasmis abdominis, ſanguinem verſus encephalum urgentibus, adſcripſerit; alios enim ægros in noſocomio noſtro vidimus, qui, priusquam ullum remedium aſſumpſerant,

rant, convulſionibus correpti mortem apoplecticam ſubibant; alii autem, lethargo & epilepſia correpti, non niſi aſſumpto opio ſanabantur. Id tamen concedo, in hoc caſu contractionem inteſtinorum nondum ſublatam a remedio purgante auctam fuiſſe.

Tertio, patet ex decurſu morbi, quod capitis affectio, auctis opii doſibus, continuo imminuta fuerit, unde novum priori aſſerto momentum accedit.

Quarto, tum in hoc, tum in aliis ſimilibus caſibus obſtructa & diu retenta alvus ſæpe draſticis etiam purgantibus non reſerabatur, niſi largo & protracto opii uſu ſpasmi inteſtinorum prius ſolvantur, quo facto alvus aut ſponte, aut dato purgante aut applicato communi enemate movetur.

Quinto, Opii uſus liberam alvi excretionem in hoc caſu adeo non impediebat, ut eam potius, ultimis præſertim diebus, cum opium largius exhiberetur, inſigniter augeret, neque ulla inde capitis perturbatio, ſudor, ardor urens, aut alia ſymptomata, ab opio produci ſolita, animadvertebantur: ac ſi omnis opii vis in delendo veneno ſaturnino fuiſſet conſumpta.

Hiſto-

Historia morbi XIV.

Pictor annos 33 natus, ſpatio duodecim annorum undecies colicam ſaturninam perpeſſus eſt, absque paralyſi.

A quatuor ſeptimanis dolores in hypogaſtrio queritur contorquentes, primis octo diebus absque remiſſionibus continuos, poſtea per intervalla mitiores, noctu non graviores. Ardor a ſcapulis ad lumbos usque, auctus ad attactum, vehementior primo, nunc remiſſior. Ab octiduo brachia quaſi ab rheumatiſmo inſigniter dolent; torpor brachii dextri, & artuum reliquorum gravitas, ardor ad pubem. Nuper unius diei iſchuria vexabatur, ſponte ſoluta; nulla cæteroquin toto morbi tempore mictus moleſtia. Dolor premens ad infimum ſternum; pulſus fortis, plenus, tardus, absque caloribus.

Initio morbi ea incommoda patiebatur, quæ alias bilioſam ventriculi illuviem notant. Ob eam rem potionem ex foliis ſennæ & manna confectam domi ſuæ hauſit, unde quinquies viridia vomuit, & aliquoties dejecit. Melius inde habuit, appetiit denuo; a ſcapulis ad lumbos usque, & ab-

Ee domi-

domine mitius doluit. Alvus primis tribus morbi diebus ſtrictior erat, exinde naturalis eſt, & quotidie reſpondet. Abdomen molle, umbilicus non introtractus, appetitus, ſapor bonus, lingua mediocriter flaveſcens.

Saturatum totius altheæ decoctum, in quo aliquot unciæ mannæ intabuerunt, propinavimus; inde purgabatur ea nocte aliquoties cum omnium ſymptomatum levamine, ſubjungebantur emollientia ſine purgantibus.

5ta Junii ad veſperam priora ſymptomata rediere, noctu graviora. Dolet totus anterior thorax, abdomen anterius ad pubem usque dolore vario, modo ardente, modo ſcindente, itemque ſubinde ſolummodo premente, aucto per intervalla. Alvus hodie nulla, brachia gravius dolent.

6ta Junii prioris diei ſymptomata perſtiterunt, interdiu mitiora, graviora noctu. Sumpto decocto altheæ cum manna, alvus mota aliquoties eſt; pectus bonum, abdomen melius, artus emendati.

7ma Junii præterita nocte abdomen gravius, quam pridie, mitius tamen, quam

allis

aliis noctibus ſolebat, doluit. Pectus ea nocte per intervalla tantum infeſtabatur.

7ma interdiu bene habuit; ſub initium noctis graviſſimus in abdomine recrudeſcens dolor adplicato emolliente cataplasmate mitigabatur.

8va Junii mane levis abdominis dolor; artus & pectus omnino emendati.

Hoc die, aut ulterioris medicationis impatiens, vel vero priſtinos reſumpturus labores, non confirmatus, ut familiam aleret domi penuria preſſam, a nobis diſceſſit.

Hiſtoria morbi XV.

Juvenis annorum viginti & duorum, pictor, præterito autumno febri continua laborabat, ex qua convaleſcens dyſpepſia & vomitibus ſpontaneis a paſtu tentabatur. Sublatum etiam hoc ventriculi vitium remediorum ſtomachicorum ope. A decem ſeptimanis abdomine dolet continuo, ſed ſubinde gravius. Auctis ſupra modum quodam die doloribus, noſocomium quoddam petiit, ex quo brevi poſtea, ab inteſtinorum cruciatu non ex integro immunis, diſceſſit.

Obambulando ægrotabat, & ante ingressum in nosocomium, & post discessum suis semper laboribus functus.

A quatuordecim vero diebus alvus dura, a quinque vero diebus strictior; fæces nunquam caprillæ.

A imo Junii dedolatio, nausea, dejectus appetitus, leves horripilationes calore fugaci interpolatæ. Dolor circa umbilicum lancinans, noctu gravior; die sequenti dolor major; noctu increscens, vomitio spontanea, biliosa, viridis per intervalla, quæ & sequentibus diebus recurrebat. Nunc artuum inferiorum pondus adest, lingua alba, os siccum, ructus non pravi, nausea tamen; non appetit, sitit; præcordiorum anxietas, pulsus fortis, durus, non celer; nulla paralysis, nulli dolores artuum quasi rheumatici, nec ardens mictus observabatur.

Datum altheæ decoctum cum manna; injectus clyster oleosus; alvus nulla. Vomuit semel, pauca, assumpta. Remediis prioribus adjectum sal amarum est; cataplasma abdomini adplicatum, & clysma datum est; inde fæces multæ cum levamine magno ejectæ sunt.

Die

Die 6ta gravitas artuum inferiorum emendatur; pulſus fortis, tenſus, durusque; dolor in abdomine multo mitior. De brachiorum pondere, aut alio incommodo nunquam querebatur. Repetita eadem remedia ſunt.

Die 7ma dolor ut heri; ſed accedit ſuperiorum artuum gravitas. Remediis hucusque adhibitis ſequens mixtura jungebatur:

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v.
Extracti hyoſcyami,
Camphor. āā gr. xij.
Syr. fl. chamom. unc. ij.
M.

Omni quarta hora partem ſextam ſumat; unde ſexies alvum, cum magno levamine, & artuum omnium emendatione poſuit.

Die 8va Junii levis per intervalla in abdomine dolor ſupererat. Uſus poſtmodum æger opio & camphora eſt, ac die 15ta ejusdem menſis per omnia ſanus diſceſſit.

In hoc ægro noctes ſemper difficiliores fuere.

Curam habui, ne ægri citius, quam sanitas ex integro confirmaretur, a nobis abirent.

Historia morbi XVI.

22 annos natus pictor ante quinque dies, cum pravo antea victu usus esset, semel etiam æstuante corpore perfrigeraretur, appetitum sibi imminui, flatibus infestari multis, & animo præprimis dejici querebatur; dolor nullibi; alvus facilis. Post duos dies, hac ratione peractos, pulverem digestivum vesperi, & sequenti mane purgans ex jalappa sumpsit. Quinquies purgabatur, sed caluit eo die, friguitque per vices; vomiturivit, & corpus quasi fustibus cæsum questus est. Ea vespera accessere pedum crampi, & dolores eorundem tensivi. Ex eo alvus substitit; levis quoque brachiorum dolor, & digitorum per intervalla rigiditas supervenit; umbilicalis quoque regio doluit, moderate tamen.

Quarta Julii, præter hucusque dicta, vomitio crebra ingestorum spontanea, æruginosa, & cardialgia urgebant. Ea nocte mul-

multum angebatur, & crura acerbius dolebant.

5ta Julii, cum ad nos venit, vomitus spontanei aderant, & alvus stricta, leves in abdomine dolores, graviores in cruribus; summa lassitudo cum ardore cutis per sinistrum abdominis latus, a quinque diebus hucusque persistente. Non febricitat; ardorem in abdomine per intervalla queritur.

Æger hic emulso purgante ex sale amaro & manna aliquoties propinato, cui semper aliquid camphoræ jungebatur, enematibus, & nervinis, usum purgantium interpolantibus, intra breve tempus convaluit.

Historia morbi XVII.

Operarius 25 annorum cum suam pictori operam locasset, cerussam super marmor lævigatum in pollinem perfrequenter conterebat.

Is ante 14 dies ventriculum sibi quasi contorqueri sensit; mox fluere alvus cum levamine cœpit.

A septem diebus dolor ventriculi per intervalla gravior, ardens, contorquens;

dolor quasi ischiaticus per externam femorum faciem, ad caput usque fibulae, decurrebat; mictus accessit stranguriosus. Brachia, prae immani eorum pondere elevare, aut cruribus insistere prae debilitate haud potest.

Die 19ma Julii sponte biliosa vomuit; alvum ab aliquot diebus difficilem experitur, nullum gustus vitium; lingua ex flavo albicans.

Die 20ma Julii datum emulsum purgans est, ex sale amaro & manna confectum, adjecto pauxillo camphorae; injectum acre enema, & propinatum decoctum est ex herbis emollientibus paratum. Alvus semel & parce mota est; dolor idem.

Altero die sequens mixtura praescribebatur:

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v.
Opii puri gr. iij.
Camph. gr. iv.
Syrup. menth. unc. j.
M.

Cataplasma ex emollientibus herbis & chamomilla ventriculo adplicatur. Idem decoctum, & enema idem. Alvus bis, & copiosior posita est. Urinae largior fluxus,

&

& expers dolorum; ventriculus minus doluit.

22ma Vix ullus dolor superest. Alvus una, spontanea. Sumpsit postea sequentem mixturam.

Rec. Ol. amygd. dulc. recent &
frigide pressi unc. 1 ß.
Vitelli ovi recent. Nro. 1.
Aq. ft. chamom. unc. vj.
Opii puri
Camphor. āā gr. iv.
Syrup. menth. unc. 1.
M.

Die 23ma alvus unica, facilis secuta est; nullus dolor amplius.

Die 24ma caput obtusum est, ceterum bene se habet. Emulsum purgans.

Die 25ma Julii bene per omnia se habet. Datæ dein pilulæ sunt ex sagapeno, G. galbano, castoreo, & camphora, quarum usu intra exiguum tempus perfecte convaluit.

Historia morbii XVIII.

Juvenis 19 annorum, pictor, ab aliquot jam annis aliquoties ex colica pictonum ægrotabat

tabat. Ante ſex dies cardialgia, ventriculum & inteſtina per vices quaſi contorquente, afficiebatur; vomituriebat ſimul, nauſeabat, alvumque habebat diarrhæicam. Ante 4 dies alvus compreſſa ſponte eſt, & acutus abdominis cruciatus. Acceſſit laſſitudo omnium artuum, pondus grave, vomituritiones continuæ.

Die 20ma Julii 1776 omnia, ut pridie.

Die 21ma ter ſponte vomuit, flava, æruginoſa, acida, amara. Alvus ſtricta; mictus frequens urinæ copioſæ. Lingua pura, os mucoſum, ructus ſapore ſalino, vomituritiones, dolores ventriculi & inteſtinorum contorquentes, modo graviores, mitiores modo; pulſus pleni, fortes, duri, non febriles, eo & ſequenti, quo ad nos venit, die, obſervabantur.

Emulſum purgans, cui pauxillum camphoræ jungebatur, & cataplaſma ad totum abdomen præſcripta fuere.

22ma alvus nulla; eadem omnia. Hinc mixtura oleoſa cum opii & camphoræ granis vj exhibitum.

23ma præmiſſo heri opio & camphora injectus clyſter oleoſus alvum emollivit.

Dolo-

Dolores primo nulli amplius, vesperi denuo redeunt, prioribus tamen multo mitiores.

25. emulsum purgans cum pauxillo camphoræ datum, & abdomen oleo chamomillæ, cui camphora commiscebatur, inunctum est; inde alvus semel posita. Dolores exigui, & per intervalla recurrunt.

Noctes toto morbi tempore difficiliores fuerunt; subjungebatur mixtura oleosa; & dein alia ex aqua chamomillæ, syrupo chamomillæ & extracto chamomillæ, qua per aliquot dies usus, & alvi libertatem, & pristinam ab omni abdominis incommodo immunitatem obtinuit, ac die 6ta Augusti sanus discessit.

Historia morbi XIX.

30 annorum pictor hoc anno binis vicibus ex colica saturnina decubuit. Ante 14 dies prima morbi symptomata comparuerunt; rheumaticus nempe crurum dolor, isque adeo gravis, ut vix incedere valeret. Dolor item in hypogastrio, vomendi conatus, vomitusque spontanei, biliosi. Ructus multi, flatulenti, absque alieno sapore. Oris amaror continuus. Nauseæ, al-

vus

vus difficilis, tensio in cervice. Urina facilis, copiosa, aquosa. Ante 12 dies purgante sumpto decies & quinquies dejecit, ac vomuit ter, absque levamine. Ante quinque dies venam sibi tundi curavit; inde non levabatur. Ante tres dies denuo, hausto pharmaco, alvum quinquies, & sexies vomitum movit. Inde vero cephalalgia corripi, & caput fieri temulentum cœpit. Noctu inquies, insomnia, pavores. Lingua ad nos venienti biliosa fuit; non appetiit, vomiturivit, nauseavit. Anxietas, umbilici retractio. Dolor circa umbilicum lancinans, cum ardore hypogastrii per intervalla recrudescente; crurum rheumatismus. Alvus a biduo restitans enemate mota est. Pulsus plenus, durus, naturali paulo celerior, absque calore præter naturam. Urina libera, & sanorum instar.

Data enemata fuerunt, & adhibita cataplasmata; decoctum emolliens pro potu erat. Propinabatur etiam emulsum mannatum cum sale amaro & pauxillo camphoræ sed sine levamine. Mixtura oleosa cum camphora & sine opio non profuit; caput fiebat magis temulentum.

Dies

Dies 27ma Julii. Intra biduum ternæ ſanguinis miſſiones inſtitutæ ſunt, quas pulſus prædurus, capitis temulentia, & inſtans delirium poſtulare videbantur; levamen nullum, graviora omnia.

Die 28ma mane artus inferiores convelluntur; lingua porrigitur, multum extra os tumet, & dentibus commordetur. Stupidus, & quaſi attonitus eſt, mentis tota die impos, αφωνος, cum tardiſſimo corporis artuumque omnium motu; ac toto quaſi corpore ſemiparalyticus. Pulſus non duri, molles, naturalibus celeriores; urina ſanorum. Hoc rerum ſtatu mixtura oleoſa cum opio & camphora exhibebatur; qua aſſumpta altero die mens, major membris mobilitas rediit. Injectus acer clyſter fæces copioſas eduxit.

Die 30 repetita eadem mixtura; dolor in abdomine exiguus; major artubus vigor rediit.

Mixtura ex tota chamomilla, adjectis opio & camphora brevi convaluit, ita, ut die 6ta Auguſti ſe æque ſanum, ac antea diceret.

Ni-

Nihilominus diutius in nosocomio retinebatur, ut nonnisi probe confirmatus abierit.

Sub continuato opii usu alvus etiam absque purgante, aut enemate, quotidie una alterave vice respondebat, & artuum vires augebantur.

Noctes magis laboriosæ fuerunt; interdiu mitius habuit.

Historia morbi XX.

32 annos natus pictor a tribus diebus dolorem ventriculi & intestinorum contorquentem, urentemque queritur, ac noctu graviorem. Lotium missurus diuturnum conatum exprimendæ urinæ adhibet, donec ea tandem cum ardore prodeat; umbilicus modice introrsum trahitur; tensio hypochondriorum & anxietas; ardor in exiguo dorsi spatio, item per externam femorum partem decurrens. Scroti corrugatio constrictioque præter modum, & testiculorum retrotractio, rotatio. Alvus nulla; vomiturititiones, lingua biliosa, ructus multi flatuosi, & inappetentia adest. Pulsus fortis, plenus, durus absque calore.

Ad-

Adplicatum cataplasma ad abdomen eſt, datumque decoctum ex emollientibus herbis; clyſteres emollientes injecti fuerunt & hauſtus oleoſi ore aſſumpti.

Inde levamen, ſed perexiguum obſervabatur.

Die 28. Julii mixturam oleoſam cum camphora & opio æger ſumpſit; eo die, aſſumptis quatuor opii per intervalla granis, ſecuta alvi libertas eſt, & ſymptomatum omnium emendatio.

Die 31. Julii, etſi hucusque oleoſa mixtura cum camphora & opio propinaretur, alvus tamen libera & facilis manſit, nullusque artuum torpor, quin auctum potius eorundem robur obſervabatur. Caput nunquam ſub uſu opii temulentum. Nullus ullibi dolor aut ardor.

Uſus poſtmodum camphora, & ſtomachicis, nervinisque eſt, & die 7ma Auguſti ſanus diſceſſit.

Hiſtoria morbi XXI.

Tinctor 20 anorum, pigmentis ſaturninis aſſidue uſus, 1ma Junii præter morem non

non appetit, corpore quaſſo, & artubus dedolatis.

2da Junii 1776 pectus opprimitur; hiſce moleſtiis adauctis, die 4ta Junii dolor abdominis lancinans jungitur.

Die 5ta Junii ſenſus oris acido auſterus accedit, laſſitudo, dolorque ventris incrementa cœpere. Umbilicus introrſum trahitur; noctesque moleſtæ.

6ta. Ardor ſternum enormis invadit. Fit venæ ſectio. Somni perpauci, laborioſi; & ventris tarditas, & fœces duræ, caprillæ.

7ma Junii rebus in pejus ruentibus purgante pharmaco opitulabatur. Alvo quinquies mota commodius habuit, ſurrexit.

9na Junii ad conſuetos labores rediit. At veſperi nauſeare, vomiturire, noctemque agere ferme inſomnem, & die ſequenti

10ma Junii, carebaria, temulentia, thoracis ardore, difficili ſpiritu, borborygmis, vomituritione, torminibus affligi cœpit, umbilico introtracto, alvoque ſuſpenſa; ſomnus nullus.

11ma Junii, ſumpto purgante non dejecit.

12ma Junii ad nosocomium venit vertiginosus, & gressu titubante; oris amarorem, pectus oppressum, & sterni ardorem ingentem questus. Tormina, venterque a triduo clysteres eludens. Pulsus, præter morem ægrorum ex colica saturnina decumbentium, perquam mollis. Dabatur sequens:

Rec. Aqu. chamom. unc. V.
Opii puri
Camph. aa gr. viij.
Syrup. chamom. unc. ij.
M.

Omni 4ta hora sextam partem assumat; jecta emollientia, dein & irritantia enemata nil fæcum eduxerunt. Aliquoties vomuit assumpta & biliosa; accessit urinæ difficultas, & tenesmus ad *matulam*.

Horum remediorum usu continuato, pleræque molestiæ remiserunt, cicuratisque abdominalibus spasmis.

Die 15ma Junii purgante, alvum hucusque suppressam, movimus:

Rec. Sal. amar. unc. 1 ß.
Aqu. fontan. unc iij.
Opii puri gr. 1.
Syrup. mannat. unc. 1.
M.

F f Se-

Seceſſus inde complures conſecuti, ingens levamen omnium ferme ſymptomatum attulerunt, ita, ut, præter quemdam non moleſtiſſimum & alvi, & urinæ tenesmum, per vices recurrentem, æger vix quidquam a ſanitate alienum conquereretur. Remediis poſtea ſtomachicis, & amaricantibus, mentha, chamomilla, foliis aurantiorum, nervis ſuppetias tulimus, & opii atque camphoræ, ſingulorum grana quinque diurnæ medicamentorum portioni adjecimus.

Tandem narcoticorum & camphoræ doſes in dies minuebamus, ſolis uſi ſtomachicis & corroborantibus, quibus effectum eſt, ut morbi reliquiæ ſenſim difflarentur, ægerque die 24 Junii ſanus a nobis diſceſſerit.

Aeger aſſiduo herbarum emollientium decocto pro potu communi utebatur. In hoc quoque ægro, noctes diebus multo difficiliores fuerunt. Purgans opio præmiſſum die 11ma Junii adſtrictam alvum non reclufit; verum narcotico præmiſſo, & relaxatis inteſtinorum fibris, præſentem opem ſerius tulit.

Etſi purgantia colicam ſaturninam non ſanent, proſunt tamen ſerius data, & ſpasmis opio prius compreſſis; cum ſordes ob

al-

alvum diutius obſtructam concluſas, & colicam ſtercoream, bilioſamque ſecundario induentes, eliminent. Alvus quotidie & ſponte reſpondebat per ultimos morbi dies, etſi quotidie laudano uteretur.

Hiſtoria morbi XXII.

Pictor, 53 annos natus, pigmenta, quibus ad labores ſuos utebatur, ipſe in pulverem terens, & ex mala conſuetudine penicillum ore detergere ſolebat, elapſa hyeme 1777 quaternis vicibus ex dira colica pictonum decubuit: antea ſemper ſanus. 3tia Aprilis de vehementi dolore ventris & cardiæ conquerebatur; vomituritio, & tandem vomitus; teſticuli retrotracti, & contorſi; artuum dolores, alvus nulla, nullus ſomnus; urinæ liberum profluvium.

4ta Vomitus ſæpius rediit, cardialgia vehementior, lancinans & vagus in abdomine dolor, ad lumbos usque ſubinde aſcendens.

Ardor per totum œſophagi tubum; artuum, præcipue ſuperiorum, dedolatio; penis & teſticuli retrotracti; urinæ ardor.

Sumpsit statim opii gr. 1 ß. in syrupo menthæ; dein sequens.

Rec. Aq. chamom. unc. v.
Olei amygd. rec. & frigide expressi, vitello ovi subacti.
Syrup. fl. chamom. āā. unc. 1.
Camph. gr. vij.
Opii puri. gr. ix.
M.

Injecto enemate semel parca alvus, absque levamine.

5ta Aprilis, cephalalgia, & vomituritio; vomitus etiam, rarior tamen, quam heri. Os amarum, lingua impura. Frigus & calor per vices, sitis magna, pulsus varius, urinæ ardor; alvus obstructa. Injectus clyster; decoctum herbarum emollientium; mixtura oleosa cum granis vj opii & camphoræ.

6ta. Cephalalgia; lingua humida & albescens; oris amaror, & vomituritio perstabant; jactitabat sese æger per lectum, cum singultu; abdomen tumidum, tensum, vel levissimi attactus impatiens; artuum superiorum & inferiorum dolor & dedolatio; & totius spinæ dorsi dolor; testiculi retrotracti; stranguria, pulsus inæqualis, somnus

nus parcus, alvus obſtructa. Eadem remedia continuata, atque ſæpius enemata applicata, addito ex ſale communi ſtimulo.

7ma Aprilis, cephalalgia, nullus amaror oris, lingua pura, nulla vomituritio, & ſingultus minus frequens; dolor autem totius abdominis, artuumque pondus & dedolatio perſtabant: de cordis palpitatione valida conquerebatur; cum urinam mitteret, penis & teſticuli ſubito ad momentum retrotrahebantur, ceterum fluxus urinæ facilior; ſemel alvus copioſa, multos inter flatus, magno ægri cum levamine; pulſus ut pridie; ſomnus paulo protractior.

Eadem remedia continuabantur acrioribus enematibus interpolata.

8va Caput & lingua bona; ſingultus rarior; dolor abdominis mitior, etſi nondum rudiorem attactum ferens. Minor artuum ſuperiorum dedolatio; ab injecto clyſtere alvus mota; nulla amplius cordis palpitatio. Cutis totius corporis a rudiori attactu dolens; pulſus celer admodum & inæqualis; octies adhuc alvum poſuit; ſomnus frequentioribus dejectionibus turbata.

Cum alvus etiam emollienti minusque acri clyſteri facile reſponderet, utpote ſpas-

mis inteſtinorum continuato opii uſu ſolutis, & emolliens decoctum, & mixtura oleoſa cum eadem camphoræ doſi continuabantur, omiſſo quamvis opio.

9na Sapor bonus, dolor abdominis mitior, mictus facilis; artuum tamen aliqua dedolatio; alvus ter mota. Sumebat ſequens:

Rec. Aq. fl. chamom. unc. v.
Extr. fl. chamom. ſ. Extr. dr. β.
Camph. gr. vj.
Syrup. chamom. unc. ij.
M.

10ma, ab injecto enemate bis alvus mota; bis quoque alvum ſponte poſuit; ſomnus bonus; eadem remedia continuata. Uſu tandem continuato mixturæ amaræ & ſtomachicæ perfecte convaluit, & 20ma ſanus e noſocomio diſceſſit.

Hiſtoria morbi XXIII.

Idem tinctor, cujus morbum nunc deſcripſimus, ad eosdem labores reſumendos dira neceſſitate coactus, 7ma Maji 1777 noſtrum iterum noſocomium acceſſit. Conquerebatur de dolore contorquente ventriculi, & totius abdominis; frigus & calor cum cephal-

phalalgia per vices. Os pituitoſum, ſubinde vomituritio, artuumque omnium dedolatio. Alvus ſemel poſita, cum tenesmo.

8va Omnia pejora, accedente teſticulorum contorſione; alvus nulla; ſomnus paucus, & turbatus.

9na. In noſocomium receptus. Cephalalgia, mitior tamen, quam præcedentibus diebus. Os amareſcens, lingua humida & albeſcens, & frequens vomituritio; nullus tamen vomitus. Cardialgia vehemens, ab attactu externo aucta. Dolor ſcindens totius abdominis, & cutis totius corporis ab attactu dolens. Major artuum dedolatio, & dolentes teſticuli contorti atque retracti. Sitis magna, pulſus inordinatus. Dabatur ſequens:

Rec. Aq. fl. rhæad. unc. v.
Olei amygd. dulc. vitello
ovi ſubacti
Syr. fl. chamom. āā. unc. j.
Opii puri
Camphor. āā. gr. vij.
M.

Præſcribebatur ſimul decoctum altheæ.

10ma. Somnus parcus, alvusque nulla; artuum noctu dolor major, rarior autem &

mitior vomituritio, mitior quoque cephalalgia; os autem amarum, & lingua biliosa colluvie obducta. Cardialgia & dolor totius abdominis ab attactu aucta; dolor artuum & reliqui corporis obtusus; urina, alvus, & pulsus, ut pridie; hinc eadem mixtura, idemque decoctum continuata.

11ma, Somnus bonus; minor capitis dolor, artuumque nullus; nullus etiam in regione ventriculi dolor, & rudiorem etiam ibi attactum ferebat. Dolor in regione epigastrica obtusior, minusque scindens, ac die praegressa, artusque etiam aeger facilius movebat; mictus tamen cum tenesmo. Alvus nulla; pulsus inordinatus, paulo durior; injectus clyster mox iterum, quin alvum moveret, ejiciebatur. Eadem remedia continuata.

12ma, nox inquieta, insomniis turbata; nulla cephalalgia, ventriculus autem attactum non ferens; abdomen molle, ferme indolens; mictus difficilis. Datum clyster emolliens, dein purgans ex unc. 1 ß. salis mirabilis, opii gr. j; & camphorae gr ij. in aqua communi & syrupo menthae; inde paucam pituitam cum bile vomuit; sexies dein dejecit faeces duras, caprillas; hinc

mix-

mixtura chamomillæ cum camphora, sed sine opio.

13ma, somnus bonus; caput indolens; ingratus tamen ab attactu circa ventriculum sensus. Cum lancinans dolor abdominis per vices recrudesceret, mictus iterum difficilis redderetur, & artuum dedolatio adesset, prior mixtura cum opio præscribebatur. Alvus inde nulla; idem pulsus.

14ma, nox tranquilla; caput bonum; abdomen ab attactu modice dolens; major artuum mobilitas, pulsus inordinatus. Vespera, ab injecto clysmate, alvus copiosa; mictus autem adhuc cum tenesmo.

Prior mixtura cum granis v camphoræ & opii.

15ma, eadem, quæ pridie, somni & capitis conditio. Abdomen ab attactu minus doluit; dedolatio; mictus facilior. Nulla tamen alvus; eadem mixtura repetita.

16ma, Bene dormivit; minor dedolatio, abdomen attactum magis ferens; artus facilius movebantur; mictus liberior; alvus vero obstructa. Pulsus inordinatus. Eadem mixtura.

17ma, ab enemate alvus semel mota; modicus abdominis dolor; dedolatio, mic-

tus, & pulſus, ut heri. Mixtura chamomillæ cum opii & camphoræ aa. gr. v.

18ma, nulla alvus; ceterum ut pridie ſe habuit; idemque remedium exhibetur.

19ma, in dextro latere dolor ischiaticus; minor dedolatio; & obſcurus abdominis ab attactu dolor; mictus facilior. Eadem remedia.

20ma, dolor iſchiatiacus mitior; alvus ſponte bis mota, & vix ullus abdominis dolor. Artuum inferiorum debilitas, & articulorum dolor; ceterum bene ſe habuit. Sumpſit priora remedia.

21ma, Iſchias ex toto evanuit; alvus ſpontanea & facilis; abdomen bonum, omnia ſymptomata emendata; ægerque convaluit.

26ma, e noſocomio diſceſſit, continuato uſu mixturæ chamomillæ cum camphora & remediorum ſtomachicorum perfecte reſtitutus. Ad confirmandas primas vias cortex peruvianus præſcribebatur.

Hiſtoria morbi XXIV.

Pictor annorum viginti natus, a longo tempore ſanus, 25 Maji 1778 de dolore per

per vices lancinante hypogastrii conquerebatur. Appetitus erat prostratus, sapor oris putridus, calor magnus. Hæc symptomata sequentibus quinque diebus pejora reddebantur, accedente tandem stranguria. Alvus a triduo obstructa, & valida vomituritio.

31ma] ad nos venit. Obscurus capitis dolor, oculi caliginosi, lingua albida, pituitosa, appetitus prostratus; dolor in regione ventriculi inter inspirandum; dedolatio, vomituritio, & vomitus aliquot spontanei. Per totum abdomen dolor lancinans; mictus frequens, & stranguriosus, cum ingenti dolore. Alvus obstructa, & anus introtracta. Nullum artuum rheuma; pulsus plenus, fortis, durus; clyster injectus a retrotracta & constricta ano mox repellebatur. Mixtura oleosa cum opii & camphoræ granis viij, & decoctum herbarum emollientium.

1ma Junii cephalalgia minor, lingua adhuc albida; repetito vomitu vermem rejecit; ventriculus attactus magis impatiens; dolor lancinans ardensque abdominis. Alvus nulla, mictus cum tenesmo, & anus adhuc introtracta. Pulsus fortis, plenus, du-

durus. A meridie venæ ſectio inſtituta unc. x, ſanguis absque cruſta. Eadem remedia.

2da Junii caput bonum. Appetitus nondum rediit, vomituritio enim, nullus tamen vomitus. Ventriculus & abdomen ab attactu dolens; dolor etiam lancinans ſupra pubem. Dedolatio perſtabat. Mictus difficilis, ſtrangurioſus, dolens. Sumpſit mixturam chamomillæ cum opii & camphoræ āā gr. jx. Omittebatur oleum, cum non ſemper recens eſſet, & ob alvum diutius adſtrictam facile ranceſceret, tum etiam ex hac ratione, quod ventriculum ſaburra putrida gravatum exiſtimaremus.

3tia æger, quod caput & os attinet, bene ſe habuit, adhuc tamen vomituritio, & dolor ventriculi ab attactu. Dolor abdominis minus lancinans; alvus obſtructa; & mictus ſtrangurioſus & dolens; omnium artuum dedolatio. Sequens remedium præſcriptum.

Rec. Aqu. font. unc. ij.
Sal. amar. unc. 1 ß.
Opii puri gr. 1 ß.
Syr. menth. unc 1.
M.

Revomuit ſtatim hocce remedium; hinc veſpera eccoproticum ex ſale amaro, grano uno opii, & granis ij. camphoræ exhibitum; injectus clyſter ex hiera picra: bis inde vomuit, & quaternis vicibus dejecit. Lancinans artuum dolor & dedolatio perſtabant; abdomen minus dolens, & mictus facilior.

4ta. Nocte prægreſſâ quinquies dejecit, ſomnus reficiens; caput & os bonum. Hucusque oculi adhuc caliginoſi. Ventriculus haud dolebat, & obſcurus tantum abdominis dolor, nulli dolores lancinantes artuum, aliqua tamen dedolatio; mictus facilior, nullus vomitus, neque vomituritio; ceterum nox tranquilla. Mixtura chamomillæ cum opii & camphoræ āā gr. vij.

5ta. Levis tantum in abdomine dolor. Artuum dedolatio, & oculorum caligo; alvus obſtructa; reliqua bona. Eadem mixtura.

6ta. Sequens purgans exhibitum.

Rec. Aq. menth. unc. iij.
Sal. amar. unc. 1 ß.
Opii pur. gr. j.
Syrup. menth. unc. 1.
M.

ges.

ges inde dejecit; dedolatio; nullus dolor.

7ma. Somnus protractus; minor dedolatio; alvus bis posita; ceterum bene se habuit.

8va & 9na omnia emendata; alvus autem nulla.

Hucusque quotidie mixturam chamomillæ cum opii & camphoræ āā gr. v sumpsit; postea autem eadem mixtura absque opio præscripta.

12ma. Sub usu continuato remediorum roborantium & stomachicorum perfecte convaluit.

Binis vicibus eccoprotica præscripsimus, ne impuræ reliquiæ retentarum diutius sordium, regnantibus præcipue febribus gastricis, malum exacerbarent.

Opium purgantibus addebatur, ut spasmos, qui alvum adstringebant, solveret, purgante interim remedio optatum utplurimum effectum præstante. Sæpe largis dosibus opii exhibitis, alvus aliquot continuo diebus sæpe *sponte*, absque purgante, movebatur.

Dra-

Draſtica etiam purgantia, & clyſteres fruſtra exhibentur, niſi opio prius exhibito; alias enim emetica evadunt.

Ceterum in ſananda colica pictonum, ſequentia mihi medici attentionem peculiariter mereri viſa ſunt:

Illa medendi methodus, quæ remediis emollientibus, mucilaginoſis, oleoſis, plumbi vim venenatam enervare conatur, raro, aut vix unquam, ſola nobis ſuffecit. Nonnunquam emollientibus atque obvolventibus remediis leniora purgantia interpoſuimus. Mitiores tantum colicas ſaturninas, easque perpaucas, hac methodo ſanatas vidimus.

Fortiora remedia alvum non movebant; ſed vehementiſſimum vomitum, auctis ſimul abdominis doloribus, ciebant.

Neque in ſolo emeticorum uſu ſalus; etſi ægri ſymptomata maxime bilioſa exhiberent. Mirum eſt, quantum opium profuerit; neque tantum diriſſimi inter miſerrimos ejulatus ægrorum dolores ab opio ſopiebantur; ſed vis ipſa venenata plumbi infringebatur, uti obſervatis conſtabat, ſi *diutius, & exiguis doſibus exhibebatur, at-*

que

que symptomatibus, opii usum contraindicantibus, prius sublatis.

Contraindicantia autem sunt sequentia:

Primo: Biliosa ventriculi illuvies, quam tempore plerumque æstivo, quo bilis potissimum dominatur, in ægris hac colica affectis frequenter observavimus. Si ægri magnam biliosæ saburræ copiam vomitu sponte rejecerunt, mox ad opiata confugimus; spasmis enim abdominis solutis, primæ viæ pertinaciter & diu obstructæ aperiebantur, & dirissimi cruciatus cessabant.

Quibus autem nulli vomitus spontanei, atque magna copia bilis in ventriculo hærebat, emetico prius exhibito, mox opiata præscripsimus.

Ventriculo multa bile laborante, noxius omnino erat opii usus; calorem enim augebat, & febrim biliosam, malignam, putridomalignam excitabat.

Si æger colica pictonum correptus, febre simul bilioso-putrida laborabat, curatio anceps & difficilis erat. Febris enim, pejor colica morbus, opii usum, quem colica postulabat, prohibuit. Hinc tali modo contra utrumque morbum erat pugnandam,

dum, ut modo huic, modo illi maxime urgenti malo obviam iremus.

Alterum, quod in initio colicæ ſaturninæ opium contraindicabat, erat plethora, aut inflammatio. Quodſi itaque abdomen, a continuo plumbi ſtimulo vexatum, in hominibus ceteroquin robuſtis, & tempore phlogiſteo, hyeme ſcilicet ſicca, ſiccoque vere, ab inflammatione affici deprehendebamus, opium non exhibebatur, niſi venæ ſectione prius inſtituta, & remediis emollientibus per os & anum exhibitis, & fomentis emollientibus abdomini applicatis; abſterſa autem phlogoſi, opitata felici cum eventu præſcripſimus. Alvus pertinaciter clauſa, & purgantibus, atque acribus clyſteribus, per plures etiam dies exhibitis, non reſpondens, uſum opii adeo non prohibuit, ut hoc potius remedio, contra ac in aliis ægris contingit, moveretur; ſpasmis forte abdomen adſtringentibus opio ſolutis.

Extractum hyoſcyami opio poterat ſubſtitui, tunc præcipue, ſi venenum plumbi laudano liquido sydenhami, diuturniori, ut videbatur uſu aſſueſceret; atque in eo caſu parva extracti hujus doſi id effecimus,

quod a majori etiam opii dosi vix assequebamur.

Nullos ægros vidimus, artuum paralysi multatos; si modo opium prius, quam nervi a plumbi veneno destructi erant, exbitum fuerat.

Alia remedia nervina ad celeriorem tantum sanationem opem suam contulisse videntur, atque inter hæc potissimum camphora, castoreum, & gummi ferulacea.

SEC.

SECTIO VII.

SPARSA QUÆDAM
AD
ÆGRORUM LECTOS EXPOSITA.

I.

DE EXPECTORANTIBUS.

Opus fuit in ægro noſtro medicamento, quod in maſſam ſanguinis poſſet transferri, quin prius conſueta alias via in ventriculum & inteſtina transferretur. Vis cantharidum movens, glutinoſa incidens, attenuans, ſolvens, talis eſt, ut per cutis ſpiracula maſſam humorum ſubeat, & deſtinato fini ſatisfaciat.

Quæritur hoc loco, an non conveniſſet citius, & ad initium morbi expectorantia propinare?

Respondeo: pravam esse illam consuetudinem, quæ, sive in vera, essentiali, ac inflammatioria pulmonum inflammatione, sive in hac spuria, biliosa, statim stibiata, moventiaque exhibet. Nam quamdiu in vera inflammatione phlogosis manet, quamdiu actu inflammatio persistit, tamdiu sola viget solvendi, lubricandi, emolliendi, & massam sanguineam diminuendi indicatio. At vero, ubi discussa omni phlogosi materies mobilis facta jam est, sed ob ejus tenacitatem, aut ob vim vitæ nimium dejectam per sputa educi non potest, cumque ex hac caussa pulmones hoc alieno naturæ pondere gravantur, convenit medicamento movente, incidente, stimulante, viribus vitæ debilitatis suppetias ferre, ut omnes secretiones & excretiones, quæ ob morbi violentiam, diuturnitatem, prægressas copiosas excretiones languent, admoto expectorantium sic dictorum leni stimulo, resuscitentur. Sed neque in hac nostra pleuroperipneumoniæ specie convenit, ad initium statim expectorantia propinare; nam moles materiæ alienæ, in primis adhuc viis restitans, in motum fuisset ducta, & ad vias secundas copiosius transiisset; hinc prius pur-

purgare ventriculum & inteſtina convenerat.

II.

Curæ confirmatoriæ neceſſitas poſt morbos bilioſos.

Æger, qui Nro. 15 decumbit ex pleuroperipneumonia inflammatario-bilioſa bene per omnia ſe habet. Agit 14tum ab initio morbi diem. Datum hodie eſt medicamentum vias primas leniter abſtergens ob ſequentes rationes. Morbi bilioſi, etſi curati ſint, nihilominus magnam relapſus proclivitatem poſt ſe relinquunt, partim, quod ſyſtema gaſtricum reliquiis bilioſæ materiæ adhuc obſideatur, partim etiam, quod id ipſum ſyſtema morbo, & medicamentis evacuantibus debilitatum ſit, aptumve, ut paulo poſt novus ſordium apparatus colligatur. Hinc neceſſe omnino eſt, primas vias probe ab omni inquinamento, tanquam recidivarum fomite, eluere. At neque hoc ſolum ſufficit, ut felicem curationi coronidem imponamus. Cura enim prophylactica, cura confirmatoria, ſi unquam in ullo morbo, in hoc certe perquam eſt neceſſa-

 ria,

ria. Hinc repurgatis bene primis viis lenia tonica dabimus, eaque ex classe illorum repetemus, quæ alvum simul apertam servant. Solemnis nobis est mixtura stomachica:

Rec. Aq. fl. chamom.
— menth. āā unc. ij β.
Elixir stomach. temp.
Tinct. rhei aquos. āā unc. 1.
M.

Lanquor ex hoc morbo reconvalescentium diutius perstat, tardiusque emendatur, quam in iis, qui vera pulmonum inflammatione laborarunt; & si facilis sit pleuritidis veræ recidiva, facillima erit ea pleuritidis biliosæ. Ratio patet: scilicet in vera inflammatione nimium stricta sunt relaxanda, humores nimii per venæ sectiones evacuandi, & excessus sanitatis athleticæ auferendus; at in morbo bilioso, nimium relaxata jam sunt roboranda, materies biliosa per vias varias successive eliminanda. At facilius est, nimium stricta relaxare, quam nimium relaxata stringere. Pars antea relaxata, nunc vero medicamentis corroborata, in priorem nimiæ laxitatis statum magis inclinat, quam pars antea ni-

mis

mis ſtricta, nunc medicamentis relaxata in ſtatum ſtricturæ nimiæ.

III.

Quando purgans & veſicantia in angina proſint, quando noceant?

Anginoſo noſtro vena ſecta eſt, datum emulſum nitroſum, mixtura antiphlogiſtica, gargarisma emolliens cum melle & nitro. Duo ſunt omiſſa, veſicans ſcilicet ad partem affectam, & purgantia. Videamus rationem:

παρασυναγχη, hæc fuit inflammatoria; non erat malum mere locale, ſed totum reliquum corpus vera laborabat febre *inflammatoria.* Duplex ergo eſt indicatio: partes ſolidas nimium ſtrictas relaxare, & ſanguinem phlogiſticum minuere & diluere. At veſicantia neutri indicationi ſatisfaciunt, ſtimulant, inflammant, & in *totum* corpus agunt.

Purgans, utut *mite*, utut *antiphlogiſticum*, nunquam tamen exhibetur, quin major inde humorum motus reddatur. Mitiſſimum purgans ex caſſia, manna, rheo,

in vias ſecundas agit, id quod ex urina ſaturatiori, & pulſu citatiori conſtat. Hinc in ſenſu ſtricto nullum proprie datur purgans antiphlogiſticum. Æque inepte egiſſemus præſcribendo purgans, ac ageretur, ſi quis in vera, eſſentiali, & inflammatoria pleuritide purgans exhiberet. Angina inflammatoria idem fere morbus eſt cum pleuritide inflammatoria: *eſt ſcilicet febris inflammatoria univerſalis cum inflammatione topica, tonſillarum videlicet: pleuritis eſt febris inflammatoria univerſalis, cum inflammatione topica, ſcilicet pleuræ, ut quidam dicunt, vel potius pulmonis ipſius, ut alio loco demonſtrabimus.* Hinc, ſicut in pleuritide inflammatoria purgans non convenit, omnium auctorum & quotidianæ experientiæ teſtimonio, ita nec in angina inflammatoria.

At vero, ſi ſit inflammatio tonſillarum, faucium ſolum *ſpuria*, depoſitio ſeroſa, tunc utique conveniet veſicans, humores ſeroſos, & ad certam partem depoſitos in motum ducens, per vias urinarias eliminans, uti & per diaphoreſin, quam ſtimulus veſicantium promovet. Tunc etiam purgans conveniet eodem fere ſcopo, movente ſcilicet &

eva-

evacuante. Probe hæc notanda ſunt; cum morbi hi faucium quotidie ferme occurrant, ne, uti fieri ſæpe ſolet, inconſulto, nullo facto mali diſcrimine, & venæ ſectionem, & ſimul purgantia, & veſicantia, & omnem remediorum ſibi contradicentium apparatum adhibeamus. Eo facilius hic erratur in morbis ejusmodi vulgaribus, obviisque, quod minus neceſſaria mali disquiſitio videatur, & quod jam trita via ſit, qua omnes nos cœco quodam impetu, & ſola ſolemni & antiquitus iam ſtabilita conſuetudine ducti, inconſulto ruimus. Plures ſunt morbi, qui, quo magis obvii, vulgaresque ſunt, eo minori cum attentione tractantur.

IV.

Remedium expectorans laudanum cum kermete.

Æger noſter, qui Nro. 14 decubuit ex pleuroperipneumonia ſpuria, uti noſtis, diarrhaea corripiebatur, circa 7, 8, 9num morbi diem, quam utilem, ſi moderatior fuerit, & pro evacuandis bilioſis reliquiis neceſſariam diximus. Verum cum alvus diu-

diutius ac copiosus, quam par erat, & ægro conduceret, flueret, cum metus esset, ne sputa minuantur, cumque materies sputorum crassa, tenax, glutinosa, & ductilis esset, indicatio viguit, 1mo: diarrhæam diutius durantem comprimendi; 2do, vires vitæ languentes incitandi, ut materies sputorum promoveri queat; 3tio, materiem crassam sputorum attenuandi.

Primæ & secundæ indicationi opium satisfacit; tertiæ kermes minerale. Datum est ergo medicamentum compositum ex quarta parte grani unius laudani puri, & dimidio grano kermes, hac ratione, ut omni hora pulverem sumat; dein omni bihorio dabatur granum kermes, & 1/4 grani unius laudani hac formula:

Rec. Laudani pur. gr. j.
Kermin gr. ij., iij., jv.
Sacchar.
Lapid. cancr. āā. Scrup. ij.
M.
Divide in doses IV.

Hac ratione sputa copiosiora primo, & dilutiora facta sunt, demum purgatis ex toto pulmonibus, & tussis, & sputa conquieverunt.

Quæ-

Quæſtio duplex hic naſcitur: 1) qua vi agat Kermes, an *ſpecificum ſit* expectorans, an peculiari occultaque vi ſputa promoveat, tali videlicet, prout cortex peruvianus ſpecifica antifebrili virtute gaudet. 2) Qua vi opium agat, ut hic apta ejus exhibitio fuerit.

Ad primum reſpondeo: kermetem tanquam medicamentum antimoniale habere vim fibras ſtimulantem, irritantem, & univerſim corpori humano moleſtam. Hinc, ſi nimia quantitate ingeratur, vim eandem in ventriculo exſeret, qua congener tartarus emeticus agit, emeticam ſcilicet. Si vero ventriculum offendat paulo minus delicatum, atque doſi paulo parciori præſcribatur, ventriculus non offendetur, at vero ad inteſtina ruet, & alvum ſolvet. Verum, ſi Kermes a primis viis ſuperetur, atque ad ſecundas tranſeat, natura inimicas antimonialis hujus præparati reliquias eliminare conabitur, easque illuc urgebit, ac deponet, quorſum major humorum excrementitiorum niſus, majorque inclinatio eſt. Hinc ergo Kermes nulla ſpecifica vi expectorante agit, atque plures alias vires aliis in morbis perquam utiles poſſidet. In doloribus invete-

ratis

ratis articulorum, ubi materies arthritica ad manus pedesque deponitur, kermes huc quoque a viribus vitæ determinabitur, & motu hoc ſuo vaſcula obſtructa reſerabit, materiem ibi reſtitantem reddet mobilem & per vaſorum extremitates abiget, quin propterea vim quandam ſpecificam in morbis articulorum poſſideat. Item in morbis cutaneis inveteratis, ſcabie, lepra, achoribus, in materia quacunque ad ſuperficiem corporis cum ægri levamine delata, indeque retropreſſa, kermes egregium erit medicamentum; illum enim motum humorum excrementitiorum ſequetur, qui facilior fuerat, & per quem multa corporis excrementa ad ſuperficiem corporis ferebantur, etſi propterea kermes nulla ſpecifica vi ad ſuperficiem corporis urgente polleat. In ſcabie retropreſſa, eryſypelate, ſaturninis adſtringentibusque curato, in achoribus unguento & medicamento ſpirituoſo, ſiccatis, in morbillis, variolis, ſcarlatina intempeſtive retropreſſa, in depoſitionibus materiæ cujusdam acris tenacisque, in depoſitione lactea ſubinde, in materie venerea glandulas obſidente, pulchre kermes minerale convenit, ac præ omni alio medicamento

mento ſpirituoſo aromaticoque, quod etſi humores æque potenter moveret, atttamen aromate ſuo inflammante nocet. In variolis confluentibus kermes eſt potentiſſimum, & eximie conveniens ſialagogum, & ſalivam copioſe ciet. In pertinaciſſimis viſcerum obſtructionibus, in rebelli quartana, ob materiam febrilem craſſam, pertinacem, non ſolvendam, non ſolum ſulphur antimonii auratum, ſed & huic affinis kermes mineralis egregio cum effectu exhibetur. In omnibus morbis pituitoſis, præcipue iis, ubi pituita jam intra vaſa ſanguifera recepta eſt, omnino kermes convenit.

Doſis kermetis varia eſt pro varia ejus medicamenti efficacia, quam aliam atque aliam habet, prout alia atque alia præparatio acceſſerit. Securiſſimum eſt a minima incipere doſi, eamque pro ægri tolerantia identidem augere. Quarta grani pars quibusdam ſufficit, plures granum dimidium ferunt, multi granum integrum.

Jungitur cum variis aliis medicamentis, prout indicatio eſt. Sic in doloribus inveteratis, nodis, tophis arthriticorum, venereorum, efficaciſſimum medicamentum habe-

habetur in kermete cicutæ & aconito juncto. Efficaciſſima hæc formula eſt:

Rec. Extract. cicut. unc. β.
——— aconit. dr. j.
kerm. min. dr. β.
fiant pil. gr. iij.
Quater per diem duas, dein tres.

Eadem formula luem inveteratam, mercurio, & omnibus mercurii præparatis rebellem curavit. In ſcabie inveterata idem ſummopere prodeſt; in effloreſcentiis acutorum intempeſtive retrocedentibus cum pulſu humili, debili, cumque tremore artuum, convulſione &c. convenit hæc formula.

Rec. Moſchi gr. ij.
Laudan. puri gr. β.
Kerm miner. gr. j.
Lapid. cancr.
Sacch. alb. āā. ſcrup. β.
M.

Id præcipue valebit in variolis repente ſubſidentibus, in morbillis admiſſo frigore repercuſſis. Si moſchus deſit, caſtoreum dupla triplave doſi acceptum idem ferme faciet. In promovenda variolantium ſalivatione, præcipue circa diem 11. 12. & 13, ubi præ ſpiſſitudine ſalivalis materiæ

ægri

ægri perſæpe vix non ſuffocantur, inſigni cum fructu kermes datur. Cum vero nauſeas, vomituritiones, vomitus, diarrhæas non paucis excitet, juvabit eidem kermeti medicamentum quoddam ſtomachicum, e. g. ex mentha, cinnamomo &c. adjungere. Six pulvis granum kermetis continens ex uncia ß aquæ cinnamomi, aut ex uncia aquæ menthæ, aquæ fœniculi ſumi poteſt; vel quod omnium erit tutiſſimum, kermeti laudani pauxillum jungi poteſt, ſi modo morbus is ſit, ut laudanum non repudiet. Hinc utile cenſeo, ut explicata kermetis virtute quædam de laudano ſubjiciam, ejusque viribus, ut ubi conveniat, aut non conveniat, aptius judicium ferre poſſemus.

IV.

OPIUM

Succus papaveris inſpiſſatus, qui opium audit, heroicum in arte noſtra medicamentum eſt, verum diſpar de opii viribus apud medicos opinio eſt. Antiqui id *refrigerans* ſeu *frigidum*, & quidem in quarto gradu

declararunt. Quidam recentiorum, re curatius examinata *calefaciens* esse statuerunt. Operæ pretium est, medicamenti, tam excellenti virtute præditi, quodque sæpe unicum est, & usu ferme quotidiano adhibetur, vires recensere. Ut quotiescunque posthac occasio, & indicatio opium exhibendi est, eo facilius indicati remedii rationes perspiciamus. In posterum ergo, ubi quæstio de exhibendo opio nascetur, semper ea in memoriam revocanda sunt, quæ in præsentiarum de viribus opii dicam. Accedit & id, quod me permovit, ut hancce materiam paulo diligentius, utut strictim solummodo, pertractem; quod ab omni ævo gravissimi circa usum opii errores fuerint commissi, comittanturque. Nolo hic assertionum singularum rationes addere, cum, qui opii historiam legere velint, viresque fusius descriptas, accedant historiæ naturalis scriptores, sed præcipue eos, qui peculiari tractatu de opio egerunt, ut sunt *Wedelius*, Cl. Edinburgensium medicus *Joung*, *Hecquetus* singularis opii fautor, & qui omnium instar esse potest, egregius *Trallesius*.

Opii actionem in corpus humanum si spectemus, patebit:

1)

1) *Opium exhibitum pulſum cordis & arteriarum, adeoque omnem humorum circuitum intendere, & accelerare. Experimentum inſtitui facillime poteſt.* Quo quis de rei hujus veritate convincatur, pulſus eſt ad horologii ictus numerandus; ſumpto opio frequentior erit, quam ante ejus ſumptionem. Vim cardiacam opio ineſſe tantam, ut opium vix non *unicum cardiacum* appellari mereatur, cordatiſſimus *Sydenhamus* aſſerit. *Boerhavius*, in tractatu de viribus remediorum, ad cardiacorum claſſem, præter vinum, ſpirituoſa, ſalia volatilia, aromatica, ſtimulantiaque, numerat etiam opium.

2) *Opium calorem corporis naturalem auget.* Hoc effatum ex illo priori neceſſario ſequitur. Quidquid enim humorum motum auget, augebit pariter & calorem. Opium guſtu amarum, inflammans & urens, uti piper obſervatur; cuti vero impoſitum aut rubefacit, aut inſtar emplaſtri veſicantis veſiculas excitat, ut adeo meritiſſimo jure opium ad medicamenta calorem excitantia ſtimulantiaque relegetur. Qui opio aſſueti ſunt, uti populi orientales, Turci, aliique ſine opio, cardiacorum maximo, languent,

& si opii copia non sit, ejus loco vinum creticum, tanquam opii succedaneum, assumunt.

3) *Opium sanguinem, humores omnes circulantes rarefacit, attenuat, eorumque volumen auget.* Pulsus enim non solum *frequentiores* fiunt, sed & *elatiores*, venæ & arteriæ turgent, facies rubet, inflatur, uti eorum, qui æstu, motu, vino incaluerunt.

4) *Opium sanguinem celerius motum copiosius determinat versus caput.* Notum est, ab opio fieri frequentem carebariam, capitis gravitatem, torporem, faciei turgescentiam, eo prorsus modo, quo fieri copiosius assumpto vino, aut spiritu vini solet. Oculi rubentes, protuberantes, feroces ab opio redduntur. Opium morbos capitis sanguineos producit, scilicet stuporem, delirium, meningum inflammationem ac cerebri, apoplexiam. Animalia opio enecata cerebrum inflammatum exhibent. Hominum & animalium mors, opio interemptorum, est *mors apoplectica*, uti a nimio vino, spiritu vini, solis æstu, insolatione. Cura in morbis, a nimio opio assumpto ortis, est summe antiphlogistica, ut adeo vis

opii

opii neceſſario inflammans, & apoplexiſera ſit. Haud raro contingit, ut nutrices infantibus opium, theriacam, dioſcordium præbeant, ut ſomnolenti, & quietiores evadant, ſæpiſſime æterno ſopore, & morte vere apoplectica ejusmodi infantes periere.

5) *Opium pacat animum, eumque audacem, alacrem, curis vacuum & hilarem efficit.* Mirabilis hæc opii vis eſt, & inexplicabilis. Aſiatæ, ut mortis metum inſtante prælio ſuperent, ſpernant, opium deglutiunt, unde ipſorum animi efferantur, ferociunt, ſummo cum omnium periculorum contemptu, ut adeo incurii vitæ in mediam mortem ruant. Idem faciunt, etſi meliori cum ſucceſſu, quod multi noſtrorum militum, qui e potu generoſioris vini, aut ſaltem ſpiritus vini poculo, prælium imperterriti ineunt. Qui opium refracta admodum doſi, & rarius ſolummodo aſſumit, peculiarem animi tranquillitatem, & mentem omnibus curis vacuam experietur; qui vero pluſculum opii aſſumpſerit, audacior evadet, vegetior; qui vero doſi excedit, in furorem agetur; qui iterum adhuc plus opii aſſumit, comatoſus, & apoplecticus fiet.

6) *Opium temulentiam & ebrietatem inducit.* Omnes fere populi, quibus usus vini interdictus est, uti sunt sectatores Mahometis, loco vini aliud inebrians in usum trahunt, opium scilicet. Opium eundem in capite sensum, finita etiam ejusdem operatione relinquit, quem vinum largius haustum, & inde nata crapula.

7) *Opium sensum tactus obtundit*, minuit, & si is sensus præter naturam augeatur, exacerbeturque, natos inde dolores sedat. Hæc vis anodyna nullo pariter modo explicanda, vel in vulgus nota est, & sæpe unicum miseris mortalibus solamen dolorum præstat. Paracelsus hoc solo fere remedio, præter, mercurium usus, per omnem Europam vagabatur, & quasi miracula patraret, aut arte magica uteretur, ingentem sibi famam comparavit.

8) *Opium vires motum animalem producentes debilitat, si largius, & frequentius usurpetur.* Loquor de motibus illis, qui imperio animæ subjacent. Qui opio multum utuntur, languere incipiunt, tonum muscularium fibrarum relaxatum queruntur, uti qui vino diutius & largius usi, artuum tremore, debilitateque laborant, &

tristi

tristi necessitate de novo sese ingurgitare coguntur. Turcam opio assuetum videbis tardum, stupidum, & languentem ante assumptam opii dosin; verum utprimum stimulus hic opii in nervos agit, denuo ad aliquod tempus alacrem, vegetum, qui tamen paulo post in majorem adhuc languorem recidet.

9) *Opium peculiari vi somnum inducit*, qui per omnes gradus usque ad somnum illum letalem & apoplecticum augetur, prout major minorve opii portio deglutitur.

10) *Opium dormientibus insomnia facit.* Somnus opio productus alius ab illo est, quem sibi relicta natura parit. Qui vero usu opii in somnum non incidunt, sed vigiles manent, phantasmatibus, & deliriis vexantur. Si largius & copiosius quis opio utatur, stupiditatem, insaniam, sensuum hebetudinem, dementiam, memoriæ defectum & fatuitatem producit.

11) *Opium venerem excitat*, & primarium, si refracta dosi sumatur, aphrodisiacum est. Moschum & ambram opio junctam medicamentum aphrodisiacum præstare, asserit *Etmüllerus* & *Hoffmanus*. Plures sunt, qui assumpto opio de insomniis

venereis, de tentigine venerea, de pollutionibus nocturnis conquerantur.

12) *Opium est potentissimum diaphoreticum, diaphoresin cum pruritu movet.* Est hæc vis opii indubitata, ac omnium certissima. Sudor opio provocatus papulas rubras valde prurientes, vel in toto corpore vel saltem, idque plerumque, in facie excitat. Præter morsicantem hunc in cute sensum, odor sudoris opium redolens subinde animadvertitur, id quod jam *Dioscorides* notavit.

13) *Dum opium diaphoresin promovet, simul alias excretiones serosas cohibet.* Hinc mucum narium, oris, faucium, œsophagi, excretionem humoris cujuscunque sive naturalis sive præternaturalis in aspera arteria, pulmonibus suspendit, & materiem inspissat; succorum gastricorum, enteriticorum, vim peristalticam vesicæ opium inhibet, & lotii tum secretionem in renibus, quam excretionem in vesica tardiorem efficit.

14) Opium vim ventriculi peristalticam pariter minuit; hinc coctionem tardam, sive bradipepsiam, appetitum prostratum, nauseam, molestum in præcordiis pondus

facit.

facit. Ut adeo opium, ſaltem ſæpius datum, iis, qui imbecilli, delicatoque ventriculo ſunt, laxis, mucoſis, non digerentibus ſummopere noceat, vim ventriculi contractilem magis adhuc debilitando.

Hæc vis opii, omnibus opiata vi præditis communis eſt. Sic nicotiana, ſive fumo per fiſtulam attracto, ſive maſticata famem ſedat, aut potius fallit, delendo appetitum, minuendo motum ventriculi periſtalticum. Sic itinerantès, famelici, milites annona & fame laborantes, ſucto per fiſtulam fumo appetitum fallunt. Ob hanc ipſam rationem inordinatus ac præternaturalis fibrarum ventriculi motus opio compeſcitur, etſi tamen aliqui ſint, quibus opium, pilulari præcipue forma exhibitum, primo nauſeam, dein lenem vomitum, mox tamen denuo conquieſcentem, producit.

15) Opium, ut fibrarum ventriculi irritabilitatem inhibet, ſic & fibras inteſtinorum facit minus ſenſibiles, minus irritabiles, ut ideo inteſtina ſtimulo contentorum ſive bilis, ſive excrementorum, ſive cujuscunque rei irritantis minus obediant; hinc opium alvinam excretionem ſuſpendit.

Nolo hic ſingulos recenſere morbos, morborum ſymptomata, ubi opium aut indicatur, aut non indicatur; nam hac ratione noſtrum de febribus illarumque diviſione differendi conſilium interturbaretur, quod tamen non injucundum vobis fore, atque etiam præ aliis utile arbitror, cum multa circa febrium diviſionem, rectamque illis medendi methodum apud antiquos recentioresque confuſio ſit, etſi earum curatio medicum ferme ſola exerceat.

Attamen, ubicunque occaſio erit in decurſu explicationis, identidem, velut in tranſitu, ad uſum vel abuſum opii reſpiciemus.

V.

Antiphlogiſtica.

In morbo præſenti methodus mere antiphlogiſtica adhibenda eſt, ſolvendum leniſſime, liberque humorum motus reſtituendus. Verum cum hæc methodus, antiphlogiſtica videlicet, toties adhibeatur, juvabit exactam habere notitiam eorum, quæ

ſtric.

ſtrictiſſimo ſenſu antiphlogiſtica adpellari merentur.

Equidem nondum habetur, nec tam facile ſperari poteſt adcurata & genuina inflammationis hiſtoria. Verum illud a poſteriori videtur eſſe certum, in quavis inflammatione topica, ſeu locali eſſe:

1) Majorem eſſe humorum ſanguineorum affluxum; 2) majorem in parte affecta vaſorum, præcipue arterioſorum irritationem, motum, aut ut cum *Baglivio* loquar, criſpationem fibrarum; adeſſe in quavis inflammatione ſpasmodici quid; 3) ſanguinem eductum ut plurimum magis cohærere, cruſtamque lardaceam, craſſamque exhibere; 4) inflammationi obnoxios potiſſimum eſſe eos, quibus major humorum quantitas intra vaſa ſanguifera continetur, quam quæ commode moveri & in circulum duci queat.

Hinc antiphlogiſtica ſunt 1) quæ revellunt a parte affecta. Laudant hoc ſcopo venæ ſectiones in parte oppoſita inſtitutas, ita, ut affecto capite ſanguis in pede extrahendus ſit. Verum, utut hoc ſubinde in

cer-

certis circumstantiis bonum sit, tamen *quasi arcanum quoddam est*, in topicis inflammationibus sanguinem emittere proxime ad locum inflammatum. Hæc methodus emittendi sanguinis penes ipsum locum inflammatum tam nova non est, uti quibusdam videbatur, cum jam veteribus non paucis in usu fuerit. Hinc in doloribus capitis, ubi venæ sectio prodest, ea in brachio, itemque in vena jugulari, in fronte, aliisque vicinis locis felicissime non raro fuit instituta. In vera, ac sanguinea inflammatione oculorum, sive in ξεροφθαλμια Hippocratis venæ sectio penes oculum ipsum, id est sanguisugæ circa oculum applicatæ plus efficiunt, quam repetitæ venæ sectiones in brachio, pede. In vera aurium, gingivarum inflammatione sanguisugæ penes ipsum locum affectum applicatæ, item scarificationes cruentæ miraculi instar prodesse observantur. In apoplexia sanguinea egregius *Valsalva* venam jugularem secuit, itemque in occipite & nucha, quorsum majorem sanguinis affluxum, indeque celeriorem evacuationem ac revulsionem fieri ex anatomicis noverat, cruentas, & profundas scarificationes fecit, remque hanc magni momenti esse arbitrabatur.

batur. Ad revellentia pertinent *cucurbitæ etiam ſiccæ.* Sic in uteri hæmorrhagia *Galenus* applicuit magnas cucurbitas ſiccas ad mammas, & ad ſtomachum. Huc etiam numerantur, ſcopo quaſi revellente, *artuum ligaturæ*; in apoplexia ſanguinea, in omni hæmorrhagia artus ligare ſummopere prodeſt. Sed quæritur, an etiam ſinapiſmi, dropaces, veſicantia antiphlogiſtica adpellari mereantur, ex eo, quod revellentium claſſi poſſint adſcribi? Reſpondeo: hæc omnia in inflammationibus *ſeroſis & topicis* aliquo modo antiphlogiſtica vocari poſſe, quatenus ſerum ſuperfluum ad partem aliquam depoſitam eliminant, reducunt, & motum febrilem a ſero hoc copioſius collecto ortum indirecte tollunt; verum ex ſua natura ad ſtimulantium numerum pertinent, & in morbis non ſeroſis, ſed vere inflammatoriis, a ſanguine nimio, nimium moto, orgaſtico, phlogiſtico, neceſſario nocent, vaſa per ſe jam nimium irritata ſtimulando, motumque humorum, per ſe jam nimis auctum, incitando.

2) Præter revellentia antiphlogiſticorum nomine donanda ſunt ea; quæ partes

in

inflammatas, ubi major fibrarum irritatio est, *relaxant*, *emolliunt*. Hinc denuo venæ sectio, utpote summe relaxans remedium prodest; hinc mucilaginosa, emollientia cataplasmata, fomenta,

(3 Antiphlogistica sunt, quæ sanguinem orgasticum temperant. Huc nitrum ab omni ævo numerabatur. Nitrum, utrum vera vi quadam refrigerante, & sanguinem nimium motum temperante gaudeat, nondum videtur exacte determinatum. Sapor ille, sensusque refrigerii, quem linguæ imprimit, nihil videtur. Equidem & camphora, spiritus vini camphoratus, olea quædam stillatitia, mentha pipirita, hunc refrigerii sensum in lingua producunt, etsi ad calefacientia pertineant. Præterea vi suæ salinæ naturæ inter lenissima solventia, ad lenissima stimulantia, numerari debet. Videtur potius, magna quantitate aquæ dilutum, excretiones omnes & secretiones blande sollicitare; diuresin, diaphoresin, alvum blandissimo suo salino stimulo restituere, quibus functionibus restitutis orgasmus humorum, nimiusque eorum motus sponte cessat; ita ut nitrum nulla *specifica* vi donatum sit;

ni-

nimia enim quantitate ſumptum, uti omnia reliqua ſalia media, evidenter ſtimulat.

4) Ad refrigerantium, ſive antiphlogiſticorum claſſem *Acida vegetabilia* ab omni tempore referebantur; verum ſæpe impar morbo inflammatorio acidum vegetabile eſt. Hinc alii *acida mineralia* in auxilium vocarunt. Operæ pretium videtur de uſu acidorum mineralium poulo latius diſſerere.

Cum emolumento hæc acida jam inde ab Arabum temporibus adhibebantur contra morbos putridos, malignosque. Verum tamen uſus eorum largior, & eximia utilitas noſtro ſæculo videtur fuiſſe reſervata. In morbo maligno vereque putrido, ubi gangrænoſa humorum diſpoſitio imminet, acida *vegetabilia* a viribus morbi ſuperantur, atque ipſamet corruptionem putridam patiuntur. Verum acida *mineralia* putredini huic potentius reſiſtunt, & imminentem gangrænam averruncant. Sed hic non agitur de vi illa antiſeptica, ſed de ea, qua humorum orgasmum, nimium motum, ſanguinisque nimiam rarefactionem temperant, tollunt. Egregius practicus *Tiſſo-*

tus

tus in more positum habet, ut, ubi inflammatoria sanguinis diathesis repetitis evacuationibus non cedit, ubi vis acidorum vegetabilium enervatur, ubi æstus calorque mordax ægrum torquet, ibi statim ad acida mineralia confugiat. Frequens observatio præstantem hunc practicum docuit, acida mineralia non solum in malignis, sed & inflammatoriis morbis, præcipue rebellioribus convenire. Expendendum restat, ut definiamus, an in omni febre inflammatoria usus acidorum mineralium conveniat?

Respondeo: quamdiu fibrarum nimia tensio ac strictura est, in corporibus hominum robustorum laboriosorum, emollientia, aquosa, tepida, acida, vegetabilia potius convenire. Verum ubi fibrarum nimia crispatio non est, ubi adhibitis licet emollientibus, aquosis, tepidis, acidis, vegetabilibus nil proficitur, ubi æstus increscit, febrisque augetur, ubi a longe imminet mutatio morbi inflammatorii in malignum, in febribus inflammatoriis fœminarum, imbecillium alias, cacochymicorum, scorbuticorum, egregie convenit ocidorum mineralium usus.

Uni-

Universim, ibi auxilium ab acidis mineralibus in febre inflammatoria habetur, ubi sanguinis missio, & potus emolliens solvensque effectu carent. Febres inflammatoriæ in principio æstatis sæpe septici quid habent; & de morbis æstatis adultæ & autumni quid participant. Præterea, si febris inflammatoria ipso hoc tempore æstivali vel autumnali oriatur, facillime in malignam migrabit, præcipue si evacuationes sanguinis per venæ sectionem nimiæ fuerint, aut etiam sua sponte brevi inflammatoria in malignam abibit. Hinc acida mineralia tunc maxime indicantur, quæ potentissima antiseptica vi gaudeat, interim autem omni inflammante, irritante aramate carent. Camphora æque fors antiseptica est, ac acida mineralia, verum ob vim stimulantem, incitantem, sudoriferam sæpius nocet, ubi acida mineralia prosunt.

Videamus effectus ab acidis mineralibus in corpore humano observatos.

1) Evacuationes omnes, si languent, blande sollicitantur, urina, alvus, diaphoresis.

2) Putredini, quæ etsi in febre inflammatoria non reperiatur, attamen ob motum humorum caloremque auctum imminet, resistit.

3) Modo quodam inexplicabili, sed tamen per observationes certo, sanguinem rarefactum orgasticumque temperat, & febrem minuit.

4) Vi quadam quasi specifica delirium avertunt, quemadmodum enim aër frigidus liberque orgasmum humorum in variolantibus temperat, deliria, convulsiones quasi momento abstergit, ut primum is, qui ex insitivis variolis decumbit e cubiculo suo in aërem liberum defertur, ita eadem febrium inflammatoriarum symptomata ob acidis mineralibus aufferuntur.

Dosis eorum varia est. Olim, uti & nunc, quidam admodum parci sunt, atque ad mensuram decocti paucas solum guttulas audent

audent præſcribere. Verum magna quantitate absque incommodo ingeri ſecure poteſt. Nos id ſolum diſcriminis obſervamus, ut in morbis inflammatoriis paullo rebellioribus, attamen necdum vere malignis parcius, largius vero in vere malignis acida mineralia præſcribamus.

Noſtræ formulæ ſunt:

Rec. decocti hord. Libras IV.
Spiritus vitriol. Drach. ij.
Sacchar. candi, aut thom. q. ſ.
ut acor temperetur.
M.

Drachmæ ij ſpiritus vitrioli ferme omnium minima doſis eſt; præſcribitur ad dr. iij. — unc. β. — dr. vj. Sacharum thomæ ex eo præferimus albo, quod hoc ultimum, album videlicet, in ſua præparatione & depuratione ultima illud mucilaginoſum obvolvens, & ſaponaceum illud vegetabile omiſerit, ſaccharum vero thomæ adhuc poſſideat.

Alia formula eſt,

Rec. Roob. ribes. Libr. ß.
Spirit. vitriol. unc. ß.
M.

Omni bihorio duo cochlearia. Sic inter 24 horas uncia una aſſumitur. Nos absque ullo incommodo fœminæ maligna febre laboranti dedimus intra 20 horas decem drachmas ſpiritus vitrioli.

Addimus ſubinde mixturis antiſepticis ſpiritum vitrioli. Conſueta in malignis formula eſt hæc.

Rec. Rad. ſerpent. virg. dr. ij.
Infunde cum ℔ ij aquæ fervent.
dein adde
Spiritus vitriol. ℥ 1 — iij.
M.

Aſſumat hujus infuſi omni bihorio dr. ij. Hæc formula utique in ſolis malignis, cum pulſu humili, vereque debili convenit.

Albini (B. S.) de ossibus corporis humani, ad auditores suos. 8. 1757. 12 gr. oder 45 kr.

Argenville (Dezaliere von) Conchyliologie oder Abhandlung von den Schnecken, Muscheln und andern Seltenheiten, welche in der See, in süssen Wässern und auf dem Lande gefunden werden. Aus dem Franz. übersezt, und mit Anmerkungen vermehrt, mit 41 Kupfertafeln, gr. Fol. 1772. 8 Rthlr. oder 12 fl.

Aureliani (Cælii) de morbis acutis & chronicis Libri VIII. c. n. Jo. Conradi Ammani & Theod. Janss. ab Almeloven 4to 1755. 2 Rthl. oder 3. fl.

Baader (F. X.) vom Wärmestoff, seiner Vertheilung, Bindung, und Entbindung, vorzüglich beim Brennen der Körper. 4. 1786. 1 Rthlr. 8 gr. oder 2 fl. —

Bergmanni Commentatio de tubo ferruminatorio, ejusdemque usu, in explorandis corporibus, præsertim mineralibus, 8. maj. 1779. 6 ggr. oder 24 kr.

Bergmanns (T.) Grundriß des Mineralreichs, in einer Anordnung, nach den nächsten Bestandtheilen des Körpers, aus dem Lat. mit Zusätzen von D. J. X. Lippert, 8. 1787. 8 ggr. oder 30 kr.

Boerhave Epistolæ ad Joannem Baptistam Bassand, Medicum Cæsareum, 8. maj. 1778. 12. ggr. oder 45 kr.

Boerhavens, Beschreibung der Arzneimittel und Recepte, die sich auf seine von dem Freyherrn von Swieten erläuterten Lehrsätze von Erkenntniß und Heilung der Krankheiten beziehen, aus dem Latein. übersezt. Zweite Auflage 8. 1775. 16 ggr. oder 1 fl.

Born (Ign. Equ.) Musei Cæsarei Vindobonensis Testacea, quæ jussu Mariæ Theresiæ Augustæ disposuit, cum fig. coloratis, fol. 1780. 30 Rthlr. od. 45 fl.

— — Index rerum naturalium Musei Cæsarei Vindobonensis. Testacea. Volumen primum. 8. maj. 1778. 3 Rthlr. oder 4 fl. 30 kr.

Carminati (B.) Untersuchungen über die Natur und den Gebrauch des Magensaftes, aus dem Ital. gr. 8. 1785. 16 ggr. oder 1 fl.

— — — Therapeutische Abhandlungen, a. d. Lat. erster Band. gr. 8. 1789. 18. ggr. oder 1 fl. 8 kr.

Cranz (H. I. N.) de rupto in partes, doloribus a fœtu, utero. 8. maj. 1756. 4 ggr. oder 15 kr.

— — Solutiones difficultatum circa cordis irritabilitatem, cum fig. æneis. 8. maj. 1761. 6 ggr. oder 24 kr.

— — Stirpium Austriacarum fasc. III. cum fig. æneis. 8. maj. 1764. 2 Rthlr. oder 3 fl. —

— — Institutiones botanicæ, in quibus genera & species plantarum hucusque cognitarum habentur. 2 Tomi 8 maj. 1765. 3 Rthlr. 8. ggr. oder 5 fl. —

— — Classis umbelliferarum, emendata cum generali seminum tabula & figuris æneis 8. 1767. 16 ggr. oder 1 fl.

— — Classis cruciformium emendata, cum figuris æneis in necessarium Instit. rei herbariæ 8. maj. 1769. 16 ggr. oder 1 fl.

— — Stirpium Austriacarum Tomi II. continens fasciculos sex, c. Fig. æneis 4. maj. 1769. 5 Rthlr. 8. ggr. oder 8 fl. —

— — Examinis chemici doctrinæ Meyerianæ de Acido pingui & Blackianæ aëre fixo & respectu calcis rectificatio; 8. 1770. 16 ggr. oder 1 fl.

— — Materia medica & chirurgica, juxta systema naturæ digesta, editio auctior & emendata, 3 volumina 8. maj. 1779. 2 Rthlr. oder 3 fl.

Fontanæ (G.) Disquisitiones physico — mathematicæ, cum Fig. 4. maj. 1780. 2 Rthlr. 8. ggr. oder 3 fl. 30 kr.

Franzosen Docktor, (der geschickte) oder kurze Anweisung, alle venerischen Krankheiten, vermittelst der von den neuesten Authoribus angerühmten besten Arzneimittel, sicher und leicht auch ohne Beyhilfe eines Medici, zu kuriren, 8. 1752. 8 ggr. oder 30 kr.

Gaubii (H. D.) Institutiones Pathologicæ medicinales, 8. 1771 1 Rthlr. oder 1 fl. 30 kr.

Hacquet (B) Plantæ Alpinæ carniolicæ, c. Fig. 4. maj. 1782. 16. ggr. oder 1 fl.

Hacquets Oryctographia carniolica, oder physikalische Erdbeschreibung des Herzogthums Krain, Istrien, und zum Theil der benachbarten Länder, 4 Th. 1778. (mit vielen Kupfern und Karten.) 7 Rthlr. 16 Gr.

— — — mineralogischbotanische Lustreise von dem Berge Terglou in Krain, zu dem Berge Glockner in Tyrol, im Jahr 1779. und 81.

zwote vermehrte Auflage, mit Kupf gr. 8. 1784. 16 ggr. oder 1 fl.

Haen (Ant. de) de Magia liber, Editio secunda, 8 maj. 1777. 12. ggr. oder 45 kr.

Hartmanni formulæ Remediorum in materiam medicam & chirurgicam clarissimi ac celeberrimi viri Cranzii. Editio nova, 8 maj. 1779 1 Rthlr. 16 ggr. oder 2 fl. 30 kr.

Heisteri (Laur.) Compendium Anatomicum, cum Fig. 8 maj. 1770 1 Rthlr. 8. ggr. oder 2 fl.

Heisters, Compendium Anatomicum, d. i. kurzer Begriff derjenigen Kunst, welche von den Theilen des menschlichen Körpers, nebst derselben künstlichen Zerlegung handelt, aus dem Lat. übersetzt, mit Kupf. gr. 8 1771. 1 Rthlr. 8 ggr. oder 2 fl.

Hippocratis Aphorismorum Sectiones septem, 24. 1726. 2 ggr. oder 8 kr.

— — — Aphorismi gr. & lat. a Janson Almeloven 12 1756. 8 ggr. oder 30. kr.

Huxhami (J) Opera physico — medica, curante G. C. Reichel. Editio aucta, 3 Tomi 8 maj. 1784. 2 Rthlr. 4 ggr. oder 3 fl. 15 kr.

Jacquin (N. J.) Miscellanea Austriaca, ad botanicam, chemiam & historiam naturalem spectantia cum figuris partim coloratis; Vol. II. 1778. 12 Rthlr. oder 18 fl.

— — — Stirpium americanarum historia, cum 185. Tab. illustr. Fol. 1763. 10 Rthlr. oder 15 fl.

— — — Observationum botanicarum iconibus ab auctore delineatis illustratorum IV. Partes cum figuris fol. 1764. 10 Rthlr. 16 ggr. oder 16 fl.